ANNUS LXXV SERIES VII FASCICULUS II AN. 1950

MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

MODERANTIBUS

ARCADIO LARRAONA
Subsecretario S. C. De Religiosis

FLORENTIO ROMITA
A Studiis S. C. Concilii

VINCENTIO FAGIOLO A Secretis
Off. S. C. De Disciplina Sacramentorum

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F. O. F. M., Relator. Gener. Sect. Hist. S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum — BIDAGOR R. S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M. S. J., Cons. S. C. Concilii — DE ANGELIS S., Substit. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — INDELICATO S., Off. S. C. Rituum — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — OESTERLE G. O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S., Subpromot. Fidei S. C. Rituum — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C^i — EDITORES PONTIFICII

ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 64.395 — C. C. P. 1-4270

Periodico Trimestrale - *Sped. in Abb. Post.* - Gruppo IV

IMPRIMATUR

Sorae, 1-VI-1950.

† Michaël Fontevecchia
Ep. Soran., Aquinaten. et Pontiscurvi.

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIPOGRAFIA EDITRICE M. PISANI - ISOLA DEL LIRI

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

S. S. C. S. Officii

Decretum diei 2 maji 1950 (F. ROMITA) . . . . . Pag. 167

S. C. Concilii

Decretum de vetita Clericis et Religiosis negotiatione et mercatura. (***). . . . . » 170

S. C. de Religiosis

Decretum de Quinquennali Relatione (A. PUGLIESE, *Comm. pro Studiis S. C. de Religiosis*). . . . . » 184

S. C. Rituum

Communicatio quoad organa Electrophonica (F. ROMITA) . . » 199

JURISPRUDENTIA TRIBUNALIUM ECCLESIASTICORUM

Tribunal Neo Eboracense

Sententia diei 23 maji 1947 coram *Mc Cormick* in causa Null. Matr. N. N. *ex capite impotentiae viri* . . . . . » 207

STUDIA ET CONSULTATIONES

S. DE ANGELIS, De Probabilitatis usu in re Indulgentiarum . . » 227

J. PARISELLA, *A Studiis S. C. Concilii*, De iure parochorum quoad primam puerorum Communionem . . . . . » 230

J. MICELI, *A Studiis S. C. De Sacramentis*, De forma celebrationis Matrimonii juxta c. 1098. . . . . » 234

A. DA WASPIK, *Consultor S. C. De Sacramentis*, De praesumpta morte. . . . . » 238

J. PENDOLA, *Promotor Justitiae S. R. Rotae*, De actione iniuriarum eiusque relatione cum processu administrativo remotionis parochorum . . . . . » 243

J. CASORIA, *A Studiis S. C. De Sacramentis*, De processu canonico super matrimonio rato et non consummato . . . . . Pag. 252

A. DEL CORPO, *Def. Vinculi Subst. apud. S. R. Rotae*, De vi juridica sententiae. . . . . » 264

JUS ECCLESIASTICUM

Italia

Il nuovo art. 72 del Codice di Procedura Civile . . . . . » 271

Ricostituzione dell'arredamento dei Seminari . . . . . » 288

Circolare Ministeriale sull'espropriazione a favore degli edifici di culto . . . . . » 292

Nuove proposte per i miglioramenti economici al Clero congruato. » 296

France

J. BERNHARD, Compte-rendu sommaire de l'année 1949: Lois et Décrets . . . . . » 300

RECENSIONES

Sacrae Romanae Rotae Decisiones seu sententiae, quae prodierunt anno 1940 cura eiusdem S. Tribunalis editae, vol. XXXII, Typis Polyglottis Vaticanis, 1949 (R. ROMANO, *adv. Rotalis, de C. Procuratorum SS. PP. AA.*) . . . . . » 305

A. VERMEERSCH-I. CREUSEN, *Epitome Juris Canonici*, Tom. I Ed. Septima a R. P. CREUSEN accurate recognita . . . . . » 315

P. L. J. FANFANI, O. P., *Manuale Theorico-Practicum Theologiae Moralis ad mentem D. Thomae*, Tomus, I. . . . . » 316

V. BARTOCCETTI, *Jus Constitutionale Missionum* . . . . . » 317

DE CARLO, C. M. I., *Jus Religiosorum* . . . . . » 322

L. PEREZ MIER, *Sistemas de dotación de la Iglesia Católica* . . . » 323

KENNETH R. O'BRIEN, *The Nature of support of diocesan priests in the United States of America*. (*P. Ae. Gambari*). . . . . » 325

HUBERT JEDIN, *Geschichte des Konzils von Trient, Band I.: Der Kampf um das Konzils*. (*H. Rogger*) . . . . . » 327

Index Bibliographicus . . . . . »

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTÆ SEDIS

Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/monitor-ecclesiasticus_1950_75_2

SUPREMA SACRA CONGREGATIO SANCTI OFFICII

DECRETUM

Nonnulli sacerdotes catholici ritus latini in Romania privatim ac publice, a communistis acti, conantur ut Clerum et fideles catholicos a debita legitimis Pastoribus et praesertim Romano Pontifici subjectione subducant.

Inter eos, partes primas agit Sac. *Andreas Agotha* qui, etsi jam a Sancta Sede monitus, in sua agendi ratione pertinaciter perseverat.

Quare Eminentissimi ac Rev.mi Patres, rebus fidei ac morum tutandis praepositi, decreverunt:

1) Sac. *Andreas Agotha* declaratur excommunicatus vitandus cum omnibus juris effectibus, de quibus cc. 2258 et ss.;

2) Monentur praedicti Sacerdotes ipsos quoque excommunicatos vitandos declaratum iri, nisi statim desistant a favore praestando eidem actioni schismaticae;

3) Caveant autem ceteri Sacerdotes necnon fideles omnes catholici ab adhaesione sectae schismaticae, quae ipso facto plectitur excommunicatione, de qua can. 2314.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 2ª maii MCML.

PETRUS VIGORITA
Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.

ADNOTATIONES

Gubernium Rumenum lege diei 4 augusti 1948 imposuit ut religiosae consociationes, si in territorio nationali adhuc vivere vellent, statuta efformarent ab ipso Gubernio approbanda. Quamvis lex manifeste iniusta esset, quatenus Catholica Ecclesia moralis personae rationem habet ex ipsa ordinatione divina, attamen, ne

civile Gubernium ad novas vexationes procederet, utque simul evidens esset sincera voluntas Episcoporum latini ritus impediendi quominus relationes Ecclesiam Catholicam inter et civile Gubernium Rumenum in peius verterent, ecclesiastica Hierarchia statuta propria paravit iuxta normas iuris divini ac naturalis, atque die 28 oct. 1948 Gubernio praesentavit.

At eadem die Ministerium cultus Gubernii Rumeni violentam responsionem dedit, in vincula trahens omnes Episcopos graecos catholicos. Postea Episcopis latini ritus communicatum fuit statuta proposita approbari non posse atque ideo eosdem invitavit ut nova statuta pararent. Interim a civili Gubernio, dum deponuntur Alexander Cisar, Archiepiscopus Bucarestien., Augustinus Pacha, Episcopus Timosoaren., Ioannes Scheffler, Episcopus Satmarien. et Magnovaradinen. Latinorum, in vincula coniiciuntur Aaron Martòn, Episcopus Alba Iulien. et Antonius Durcovinci, Episcopus Iasen.

Quare, de medio violenter sublato catholico Episcopato Rumeno, civile Gubernium iterum nova statuta ecclesiae catholicae expostulavit a Vicariis Generalibus praedictarum dioecesum. Qui tamen eadem conficere renuerunt, cum potestatem non haberent modificandi statuta a suis Episcopis iam confecta; quae ceterum minimum continebat ad vitam Catholicae Ecclesiae in Romania essentialiter necessarium.

Tunc civile Gubernium Rumenum ecclesiam nationalem fundare contendit.

Et quoniam secta schismatica ortodoxa doctrinis communisticis adhaeserat, civile Gubernium omnibus modis clericos ac fideles romano-catholicos a Sede Apostolica separare et sub potestate praedictae sectae schismaticae reducere conatur, uti iam fecerat cum graeco-catholicis.

Media, quibus praesertim ipsum Gubernium utitur ad hunc finem consequendum, non sunt tantum religiosa, sed praesertim politica, et quidem omnino falsa.

Ut moris est apud communistas, Summus Pontifex enim, qui nihil omisit ac omittit ut christiana pax inter Nationes tandem affulgeat post immane bellum, falso describitur ut pacis inimicus.

Hinc, sub specie pacis fovendae, civile Gubernium declarationes pro pace a Clericis ac fidelibus catholicis expostulat et quandoque obtinet, quas postea uti documenta assumit eorumdem voluntatis doctrinis communisticis ac schismaticis adhaerendi.

Ut Decretum refert, nonnulli sacerdotes in huiusmodi insidias callide paratas misere ceciderunt.

Quare suprema Sacra Congregatio S. Offici praesenti Decreto verum finem praedictorum moliminum civilis Gubernii aperte denuntiat, ne in posterum ulla dubietas hac super re supersit vel

dolus latere pergat. Optandum igitur ut catholici, a S. Sede prudenter edocti de periculis, quae in praedictarum declarationum subscriptione continentur, hanc omnimo denegent. Attamen, cum sac. Andreas Aghota, parochus loci v. d. Silea Nirajulii apud Targu Mures, etsi iam a S. Sede monitus, in perversa sua agendi ratione perseveret, qua, sub ductu communistarum, alias paroecias peragrans conatur Clerum ac fideles catholicos a debita legitimis Pastoribus et praesertim Romano Pontifici subiectione subducere; eadem Suprema Congregatio eundem sacerdotem excommunicatum vitandum declarat. Cuius gravissimae poenae effectus immediati, simul cum illis cum excommunicatis toleratis communibus, describuntur in cc. 2259-2267; 1931; 765, 2°; 795, 2°; 1453 § 1; 1628, 1654; 1757 § 2; 2232; 1240; 1241; 1172 § 1, 4°; 1207; 2339.

Quoad effectus autem extraordinarios et mediatos, prae oculis habeantur can. 985, 7°; 2314 § 1, 2°; 2315; 2340 § 1.

Praeterea Decretum, de quo agimus, eamdem poenam comminatur aliis sacerdotibus, nisi statim desistant a favore praestando eidem actioni schismaticae; atque insuper caeteros Sacerdotes ac fideles omnes catholicos monet, ne praedictae sectae schismaticae adhaereant, sub poenis, de quibus in can. 2314.

Florentius Romita.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

DECRETUM

DE VETITA CLERICIS ET RELIGIOSIS NEGATIONE ET MERCATURA

Pluribus ex documentis constat, in Ecclesia quovis tempore clericis in sortem Domini vocatis saecularia negotia, negotiationem praecipue et mercaturam, gravibus sub poenis et censuris prohibita fuisse.

Siquidem ipse Apostolus in II[a] epistola ad Timotheum (cap. II, 4) iam monuit: « Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus ». Nil mirum proinde si Tridentina Synodus (Sess. XXII, cap. I, de reform.), de his agens criminibus decernere non dubitaverit: « ut quae alias a Summis Pontificibus et a sacris Conciliis de clericorum... saecularibus negotiis fugiendis copiose ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem poenis vel maioribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur...».

His itaque omnino inhaerens Codex iuris canonici, ad rem quod attinet, canone 142 statuit: « Prohibentur clerici per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere sive in propriam sive in aliorum utilitatem ». Haec autem prohibitio afficit etiam religiosos ad normam canonis 592. Quin imo idem Codex hoc praescriptum canone 2380 peculiaribus etiam sanctionibus munivit, addens: « Clerici vel religiosi mercaturam vel negotiationem per se vel per alios exercentes contra praescriptum canonis 142 congruis poenis pro gravitate culpae ab Ordinario coerceantur ».

Quo firmior et magis uniformis ecclesiastica disciplina hac de re habeatur atque abusus praecaveantur, Sanctissimus Dominus Noster Pius Pp. XII statuere dignatus est ut Clerici et Religiosi omnes ritus latini de quibus in canonibus 487-681, ne exceptis quidem recentium Institutorum saecularium sodalibus, per se vel per alios, mercaturam seu negotiationem cuiusvis generis, etiam argentariam, exercentes, sive in propriam sive in aliorum utilitatem, contra praescriptum can. 142, utpote

cf. Acta Apost. Sedis, 42 (1950), 330.

huius criminis rei, excommunicationem latae sententiae Apostolicae Sedi speciali modo reservatam incurrant et, si casus ferat, degradationis quoque poena plectantur.

Superiores vero qui eadem delicta, pro munere suo ac facultate, non impediverint, destituendi sunt ab officio et inhabiles declarandi ad quodlibet regiminis et administrationis munus.

Pro omnibus denique, quorum dolo vel culpae patrata facinora tribuenda sint, firma semper manet obligatio reparandi damna illata.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, die 22 mensis Martii, anno 1950.

Ioseph Card. Bruno, *Praefectus.*

L. + S.

F. Roberti, *a Secretis.*

ADNOTATIONES

LEGES. *Codex Juris Canonici*, cc. 142, 592, 2380.

AUCTORES. *Sebastianelli, Praelectiones Juris Canonici, De Personis* Romae 1912. Wernz, *Jus Decretalium*, Tom. II. Oietti, *Synopsis rerum moralium et juris pontificii*, sub voce *Negotiatio*, Romae, 1912. Roberti, *De Delictis et De Poenis* vol. 2. Romae. Maroto, *Institutiones Juris Canonici*. Vermeersch, *Theologiae Moralis Principia*, editio III, Vol. III.

SUMMARIUM. Praenotamina 1-3.

I. - Crimen prohibitum. Quid et quotuplex negotatio. - 4. Interpretatio canonis 142 iuxta communem doctrinam Auctorum. - 5. Confirmatio canonis 142 iuxta recens Decretum S. C. Concilii. - 6. II. Subiectum prohibitionis in recenti Decreto explicite designatur - 7. III. Poenae contra reos: quae sint. - 8. Excommunicatio latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservata - 9. Degradatio - 10. IV. Poenae contra Superiores. - 12. V. Reparatio damnorum. Principium quo reparatio damnorum nititur - 13. 14. Reparatio damnorum ex parte clericorum. - 15. Reparatio damnorum ex parte religiosorum. - 16. Reparatio damnorum ex parte scdalium Institutorum saecularium 18.

---

1. Piae matri Ecclesiae quovis tempore maxime cordi fuit ut clerici et religiosi, utpote in sortem Domini vocati, generaliter abstinerent ab omnibus illis negotiis exercendis, saecularium propriis, quae aut ipsos retraherent a spiritualibus curis, aut oppone-

rentur lenitati, aut, ob naturalem vilitatem, offenderent clericatus honorem [1].

Inter saecularia negotia autem praecipue prohibita sunt clericis et religiosis negotiatio et mercatura, quia negotiatio et mercatura animum avocant a superioribus studiis [2] et distrahunt a spiritualibus curis [3]; insuper exponunt clericos et religiosos periculo contrahendi vitia quae, teste experientia, frequenter inveniuntur in mercatoribus, nempe falsitates, periuria, fraudes et laesiones justitiae [4]; tandem quia negotiatio et mercatura lucrum intendunt: aviditas autem lucri indignissima clericis et religiosis semper habita est, siquidem jam saeculo IV S. Hieronymus scribebat: « Negotiatorem clericum tamquam pestem fuge » [5].

2. Antiqua disciplina esclesiastica de vetita clericis et religiosis negotiatione et mercatura pluribus documentis, decursu temporis editis, continetur [6]. In Codice juris canonici redacta est ad canones 142, 592 et 2380, quorum primo statuitur: « Prohibentur clerici per se vel per alios negotiationem, aut mercaturam exercere, sive in propriam, sive in aliorum utilitatem »; secundo eadem prohibitio extenditur ad religiosos; tertio Legislator contra utrosque, clericos nempe et religiosos, praescriptum canonis 142 violantes, congruas poenas, pro gravitate culpae ab Ordinario inferendas, comminatur.

3. Recens S. C. Concilii Decretum confirmat prohibitionem in canone 142 statutam et insuper « quo firmior et magis uniformis ecclesiastica disciplina de hac re habeatur atque abusus praecaveantur » pressius determinat *crimen prohibitum* (mercaturam seu negotiationem cuiusvis generis, etiam argentariam, per se vel per alios, sive in propriam sive in aliorum utilitatem, exercere); *subiectum prohibitionis* (clericos, religiosos omnes de quibus in canonibus 487-681, sodales recentium Institutorum saecularium);

---

[1] Sebastianelli, *Prael. Juris Canonici*, 1905, *De Personis*, n. 37.

[2] Schmalzgrueber, in *L. 3*, t. 50, n. 6.

[3] S. Thomas, 2, 2, q. 77, 4 ad 3.

[4] Sebastianelli, l. c., n. 38.

[5] *Ep. 52 ad Nepotianum*, in P. L. 22, 531.

[6] Antiquos canones in hanc rem nec non Patrum sententias collegit Gratianus in D. 86 et 88; dein Decretales Gregorii IX et liber VI Decretalium severitatem confirmarunt. Jus commune de hac re postea traditum est a Tridentina Synodo in Sess. XII, c. 1, de Ref. Constitutione *Decens*, 5 nov. 1650, Pius IV lucra illicite a clericis negotiatoribus facta Camerae Apostolicae addixit. De quo jure suo Camera non raro decertare debuit cum heredibus clericorum. Inde multi casus propositi sunt S. C. Concilii, ex cuius responsis ortum habuerunt pleraeque distinctiones hodie receptae. Benedictus XIV, C. *Apostolicae servitutis*, 25 febr. 1741, prohibuit negotiationem per alios; Clemens XIII, C. *Cum primum*, 1 sept. 1759, vetuit ne clerici campsorem agerent. Cfr. Vermaersch, Theol. Mor., editio III, t. III, n. 18.

poenas contra reos (excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae speciali modo reservatam et, si casus ferat, degradationem, quae tamen ferendae sententiae est) et contra *Superiores*, qui eadem delicta pro munere suo ac facultate non impediverint (destitutionem ab officio et declarationem inhabilitatis ad quodlibet regiminis et administrationis munus). Tandem recens Decretum statuit *obligationem reparandi* damna, ex exercita vetita negotatione seu mercatura forte illata, « pro omnibus, quorum dolo vel culpae patrata facinora tribuenda sint ».

Vim et extensionem Decreti exploranti de his omnibus erit accuratius agendum.

I. Crimen prohibitum.

4. Canon 142 et recens Decretum non continent definitionem negotiationis et mercaturae. At doctrina, canonem 142 ex antiquo jure interpretata, sequentia tradidit.

a) *Negotiatio* est « omnis, in finem immediate temporalem facta, rerum pretio aestimabilium commutatio, praecise per emptionem-venditionem » [7]; *mercatura* autem coarctatur ad commutationem, vel emptionem-venditionem, mercium. Unde negotiatio et mercatura se habent ad invicem sicut genus et species.

b) Negotiatio alia est *oeconomica*, alia *quaestuosa* seu *lucrativa*. Prima consistit in vendendis rebus propriis, et habetur quando ex. gr. venduntur fructus proprii agri [8], vel cum emuntur res quae sibi vel familiae sunt necessariae et postea, si ex aliqua causa sibi vel familiae superfluae factae sint, venduntur pretio currenti, etiam si hoc interdum maius evaserit [9]. Si haec negotiatio exerceatur ad providendum necessitatibus communitatis, etiam *politica* a quibusdam vocatur [10]. Ista negotiatio, in momento emptionis rerum, non supponit intentionem easdem res vendendi.

c) Negotiatio *quaestuosa* seu *lucrativa* est illa quae exercetur cum intentione lucri, et alia dicitur *artificialis*, alia *proprie dicta*.

Negotiatio *artificialis* habetur quando res emuntur eo fine ut, per artem et industriam mutatae in alias utiliores, carius vendantur lucri causa, ex. gr. si ex lana empta conficiantur panni, et postea panni vendantur [11].

---

[7] Vermeersch, 1. c., n. 19.

[8] Vermeersch, 1. c., n. 19.

[9] Sebastianelli, 1. c., n. 38; Vermeersch, 1. c., n. 19.

[10] Schmalzgrueber, Jus eccl., 50, n. 9. Wernz. Jus Decretalium, II, n. 217.

[11] S. C. Concilii, 20 nov. 1820, in Ferraris, *Prompta Bibliotheca*, v. « *Clericus* », n. 3).

d) Negotiatio *proprie dicta,* quae iuxta aliquos vera mercatura dicitur, habetur quando res emuntur ut carius sub eadem forma vendantur ad lucrum sibi comparandum [12].

Utraque negotiatio, artificialis et proprie dicta, supponit intentionem lucrandi in ipso momento emptionis rerum.

e) Quia obiectum negotiationis est quaecumque res pretio aestimabilis, sive fungibilis sive non fungibilis, et rerum pretio aestimabilium multa sunt genera, unaquaeque ex supradictis negotiationibus potest ex obiecto varii nominis esse. Quae pro obiecto habet pecuniam (*valute, titoli* ecc.), proprio nomine *argentaria* vocatur.

5. Ex canone 142, cum veteri jure collato, probati juris auctores hucusque tradiderunt:

a) Clericis et religiosis licitam esse negotiationem oeconomicam, ideoque licere clericis et religiosis vendere fructus proprii agri, emere pecora suis pascuis saginanda et pecorum saginatorum fructus vendere; imo fructus proprii agri vel suorum pecorum, ex. gr. uvas et lac, mutare, opera conductorum operariorum, in vinum et caseum et postea vendere [13]. Haec negotiatio enim pertinet potius ad rectam administrationem rei familiaris; clericis autem jus est bona sua patrimonalia recte administrandi; clericis et religiosis non solum jus, sed officium est, bona beneficialia et religiosa administrandi sicut boni patres familias.

Non licere tamen clericis et religiosis agros alienos conducere ad vendendos fructus qui inde nascentur, vel ad saginanda pecora[14].

b) Negotiationem artificialem seu improprie dictam per se non esse clericis et religiosis prohibitam [15], dummodo tamen res coëmptae eorum ipsorum opera in alias utiliores immutentur et exercitium artis vel industriae tale non sit quod eos avertat a spiritualibus officiis vel eorum statum dedeceat [16]; artificialem negotiationem esse autem clericis et religiosis prohibitam ,si res coëmptae non sua opera, sed opera aliorum, pretio conducta, immutentur [17].

---

[12] Sebastianelli, l. c.. n. 38.

[13] Vermeersch, l. c., 19, 3, 5.

[14] Vermeersch, l. c., 19, 5 b. Cfr. etiam Sebastianelli, l. c., n. 38, ubi refertur Ep. Alexandri III ad Londinensem Episcopum.

[15] *S. C. Concilii,* 20. nov. 1820, in Ferraris, l. c.

[16] Clemens, XIII, C. *Cum Primum,* 1 sept. 1759.

[17] Sanguineti, *Juris Eccl. Inst.,* n. 207, I. Notandum hic operam alienam illam intelligi quae est potissimum operariorum pretio conductorum. Non censetur aliena opera membrorum religiosae communitatis; nec stricte aliena opera eorum qui aliquo titulo ad familiam pertinent, ut sunt alumni qui institutionis causa vel ad artem addiscendam eodem tecto recipiuntur. Cfr. Vermeersch, l. c., 19, 2.

c) Proprie dictam negotiationem absolute interdictam esse clericis omnibus (etiam in minoribus ordinibus constitutis) et religiosis [18], sive exerceatur per se, sive per mandatarios, sive in propriam, sive in aliorum utilitatem. Hanc autem regulam admittere solummodo duas exceptiones, quarum prima est: si clerico ex aliquo titulo honesto, puta, hereditalis, deferatur aliquod negotium quod sine detrimento dimitti nequeat, clericus potest illud saltem ad tempus per laicam personam exercere, expetita prius facultate a S. C. Concilii intra Italiam, a proprio Episcopo extra Italiam [20]; secunda est; si clericus tali inopia rerum laboret ut honestae sustentationi suipsius vel consanguineorum providere nequeat, potest, expetita prius licentia a S. C. Concilii intra Italiam, a proprio Episcopo extra Italiam, alicui negotiationi, etiam proprie dictae operam dare [20]. Licentia autem concedi potest solum si nulla alia via providendi honestae sustentationi suppeditet et negotiatio talis non si quae statum clericalem dedeceat [21].

6. Recens S. C. Concilii Decretum, licet praescriptum canonis 142 confirmet, prohibet tamen « mercaturam seu negotiationem cuiusvis generis, etiam argentariam ». Unde dubium oritur utrum eae negotiationes, quas juris canonici doctores uti non prohibitas clericis et religiosis hucusque tradiderunt, maneant adhuc licitae, an sint a recenti Decreto prohibitae. Haec autem retinenda esse censemus.

a) Prohibita non est clericis et religiosis negotiatio oeconomica. Haec enim, uti vidimus, nonnisi improprie dicitur negotiatio et pertinet potius ad rectam administrationem rei familiaris. (cfr. supra 5, a). Hinc clericus potest vendere, pretio currenti res suas, fructus agrorum suorum, etiam opera aliorum in utiliores res mutatos.

Clericus et religiosus possunt vendere, pretio currenti, fructus bonorum ad beneficium vel ad religionem pertinentium [22].

Item clerici et religiosi possunt pretio currenti vendere res coëmptas ad providendum necessitatibus propriae familiae vel communitatis, si ex aliqua causa superfluae evaserint [23].

---

[18] Cfr. Oietti, *Synopsis*, voc. « *Negotiatio* », ubi fontes varii citantur.

[19] Benedictus XIV, C. *Apostolicae*, 25 febr. 1741.

[20] Clemens, XIII, C. citata *Cum primum*, 27 sept. 1759.

[21] Clemens XIII, C. citata *Cum Primum*.

[22] Nequeunt tamen alienos agros conducere. Cfr. dicta in nota (14).

[23] Nisi tamen res ad providendum necessitatibus propriae familiae vel communitatis habitualiter in tali quantitate emantur, ut quotannis superent et vendantur lucri causa. Tunc enim finis lucrandi ex futura venditione facile supponitur adesse in ipsa emptione.

b) Exercitium artificialis negotiationis jam jure veteri et sub regimine canonis 142, licet in doctrina retineretur per se non prohibitum clericis et religiosis, tamen multis dubiis et disceptationibus originem dabat. Si enim ex una parte licitum retinebatur pro clericis et religiosis res coëmptas et per artem vel industriam propriam mutatas vendere ac tenue lucrum ita sibi comparare in compensationem sui laboris, ex alia parte artificem seu industrialem gerere alienum videbatur a munere proprio clericorum et religiosorum, quorum est spiritualibus curis incumbere. Jamvero distractio a curis spiritualibus una est ex causis, ob quas negotiatio prohibetur.

At nunc, attento fine recentis Decreti, qui est firmiorem atque magis uniformem reddere ecclesiasticam de hac re disciplinam atque abusus praecavere, et attentis verbis eiusdem Decreti, quae negotiationem et mercaturam cuiusvis generis prohibent, censemus et artificialem negotiationem prohibitam esse clericis et religiosis. Qui, si rationabiles causas habeant, talem negotiationem exercendi, licentiam a legitimis Superioribus impetrare tenentur. In casu autem legitimus Superior est Sancta Sedes, quia Decretum prohibens a Sancta Sede promulgatum est.

c) A fortiori prohibita est clericis et religiosis negotiatio proprie dicta, sive per se sive per mandatarios, sive in propriam sive in aliorum utilitatem exerceatur. Neque admittendae sunt duae exceptiones, quas doctores huic regulae faciebant, canonem 142 cum veteri jure conferentes, quasque supra memoravimus (cfr. 5, c), cum etiam ante recens Decretum illae duae exceptiones licentiae vel S. C. Concilii vel proprii Episcopi subordinabantur.

Hic potius consideranda venit significatio verborum « exercentes » et « argentariae negotiationis », quae in recenti Decreto adhibentur.

d)E verbo « exercentes », sive in jure veteri, sive in canone 142 adhibito, doctores deduxerunt solum habitum negotiationis lucrativae fuisse clericis et religiosis prohibitum; indeque inferebant clericum vel religiosum non peccare graviter, nec esse negotiatorem in sensu juris, si semel atque iterum actum negotiationis prohibitae posuerit [24]. Imo aliqui excusabant a peccato gravi clericum vel religiosum qui semel atque iterum negotiatus esset etiam in magna quantitate, vel pluribus vicibus moraliter separatis [25], ex eo quod verbum exercere significat pluralitatem actuum, qui moraliter, id est proposito, uniantur [26].

---

[24] Barbosa. *Iur. eccl. univ.* lib. I, c. 40, n. 120.

[25] Cfr. D'Annibale, III, 156.

[26] Ballerini-Palmieri, *Opus theologicum*, IV, tr. 9, n. 463.

Haec interpretatio fundatur in littera legis: verbum enim exercere revera significat pluralitatem actuum moraliter unitorum, et habitum negotiationis. At spiritus et finis legis est non solum prohibere habitum negotiandi, qui clericum a spiritualibus curis distrahit, sed etiam aviditatem lucri, quae clerico indignissima est. Aviditatem autem lucri sapit non solum habitus negotiandi, sed etiam unus actus negotiationis qui in magna quantitate ponitur, puta negotiatio argentaria ingens. Unde censemus a peccato gravi non excusari non solum clericum vel religiosum qui habitum negotiandi habet et plus quam semel atque iterum actus negotiationis ponit, sed etiam clericum vel religiosum qui ponit unum actum negotiationis in gravi quantitate quae materiam gravem constituit. Gravitas autem quantitatis hic computanda est secundum normas quae gravitatem materiae in laesionibus justitiae determinant.

e) Pecunia non solum est medium quo et finis ob quem negotiatio exercetur, sed potest etiam esse obiectum ipsius negotiationis. Sicut enim merces, ita possunt emi et vendi (per *cambium*) etiam *pecuniae* (*valute*) vel *tituli*, seu nomina quibus quis fit creditor vel socius societatis industrialis vel mercatoriae (*obligationes* vel *actiones*) [27]. Quando negotiatio pro obiecto habet pecunias vel titulos, *argentaria* vocatur.

Jam jure veteri interdicta est clericis negotiatio facta per *cambium activum*, sive manuale sive temporaneum [28]. Et ex hac prohibitione doctores deduxerunt a crimine illicitae negotiationis non excusari clericos qui ea intentione emerent obligationes vel actiones ut illas postea, pro more aliorum mercatorum, in foro argentario venderent ad lucrum sibi comparandum; aut qui pecuniam mutuarent, annuo fixo foenore soluto, ut ex pecunia ita sibi comparata, per speculationes pecuniarias apud campsores in foro argentario actiones sive obligationes emerent ad maius lucrum percipiendum [29].

Inter recentiores juris canonici doctores magna fit quaestio utrum clericis liceat obligationes et actiones propria pecunia emere [30]. Et omnes retinent clericos posse emere obligationes, quia obligationibus quis fit solum creditor pro certa summa sub fixo foenore. Quoad actiones vero duplex datur sententia.

---

[27] Tituli sunt nomina quibus quis juridice fit creditor aut socius societatis industrialis vel mercatoriae. Tituli sunt vel actiones, vel obligationes. Actio est titulus quo quis fit socius in societate industriali vel mercatoria, ita ut particeps fiat sive activitatis, sive lucrorum vel damnorum societatis. Obligatio autem est titulus quo quis fit solus creditor pecuniae sub foenore.

[28] Cfr. citatas Constitutiones Benedicti XIV et Clementis XIII.

[29] Wernz, *Jus Decretalium*, tom. II, n. 219.

[30] Cf. Vermeersch, l. c., n. 20.

Aliqui retinent clericos posse emere solum actiones earum societatum quae vel venas carbonarias aut metallicas, vel vias ferreas exercent, aut aliqua ratione fundos proprios fructuose excolunt. Dicunt enim actionarios esse simul dominos agrorum seu fundorum ex quibus fructus quaeruntur, et proinde clericos, qui tales actiones possident, nec per se nec per alios negotiationi illicitae operam dare, sed solum negotiationi oeconomicae. Non posse autem clericos emere actiones societatum mercatoriarum (*commerciali*), quia per talium actionum possessionem clerici fiunt cooperatores negotiationis proprie dictae [31].

Alii vero dicunt clericos posse emere etiam actiones societatum mercatoriarum, quia possessores talium actionum in communi aestimatione non habentur veri negotiatores et quia clerici, per solam talium actionum possessionem, nec scandalum dant nec ab officiis sui status avocantur [32].

Omnes tamen illicitas retinent pro clericis negotiationes illas, veras vel fictas, quae in « Bursa » frequenter solitae sunt (*speculazioni, giuochi di borsa*), licet aliqui non vetent eas commutationes titulorum quae fiunt ad captandam occasionem lucri, vel ad vitandum periculum damni: hoc enim pertinere dicunt ad prudentem gestionem patrimonii [33].

Recens S. C, Concilii Decretum non prohibet clericis vel religiosis vendere suas pecunias (*valute*), sicut non vetat vendere res suas (negotiationem oeconomicam); nec vetat clericis vel religiosis collocare (*investire*) tuto ac utiliter suas pecunias ad licitum foenus lucrandum [34]. Absolute tamen prohibet omnem negotiationem seu mercaturam argentariam quaestuosam, quae ex emptione venditione, vel commutatione pecuniarum seu titulorum lucrum comparare intendit. Similiter vetat collocationem pecuniae in emptione actionum societatum mercatoriarum, ob implicitam cooperationem in activitatem mercatoriam talium societatum.

II. Subiectum prohibitionis.

7. Personae quae prohibentur exercere per se vel per alios, sive in propriam sive in aliorum utilitatem, mercaturam seu negotiationem cuiusvis generis, etiam argentariam, sensu quo supra explicavimus, indicantur taxative et explicite in ipso Decreto, quod,

---

[31] D'Annibale, III, 157; Wernz, l. c., II, 219.

[32] Maroto, *Inst.*, n. 572.

[33] Vermeersch, l. c., n. 20.

[34] Tuto ac utiliter collocare pecunias ad entia ecclesiastica vel causas pias pertinentes tenentur admnistratores bonorum ecclesiasticorum. Nulla lex prohibet quominus idem faciant etiam pro suis pecuniis.

licet a S. C. Concilii sit promulgatum, Ipsum Summum Pontificem auctorem habet. Eae sunt:

a) Clerici omnes ritus latini, nempe omnes illi « qui divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipati sunt » (can. 108 § 1).

b) Religiosi omnes ritus latini, nempe omnes personae de quibus in libro II, Parte secunda Codicis juris canonici, cui titulus est « De Religiosis »; inter quas comprehenduntur sive religiosi proprie dicti, de quibus in canonibus 487-672, sive sodales societatum virorum aut mulierum in communi viventium sine votis, de quibus in canonibus 673-681.

Hae ultimae personae, licet in Codice nomine religiosorum proprie non designentur (can. 673, § 1), tamen communibus obligationibus clericorum tenentur (Can. 679 § 1) sicut personae quae in Codice nomine religiosorum proprie designatur (can. 592). Recens Decretum explicite confirmat obligationem abstinendi a quacumque negotiatione seu mercatura exercenda.

c) Sodales recentium Institutorum saecularium sunt omnes illi, semper ritus latini, de quibus agitur in Const. *Provida Mater Ecclesia,* Pii PP. XII [35].

III. Poenae contra reos.

8. Jure veteri negotiatio et mercatura prohibita fuit clericis sub poena excommunicationis, suspensionis, degradationis [36]: quae poenae erant omnes ferendae sententiae. Graves poenas, etiam ferendae sententiae, comminata est in religiosos et eorum superiores, eiusdem criminis reos, S. C. EE. et RR. [37]. Missionarii denique, sive regulares sive saeculares, qui crimen mercaturae vel saecularis negotiationis commiserint sive per se sive per alios, etiam semel, incurrebant excommunicationem latae sententiae, praeter alias poenas privationis vocis activae vel passivae, a qua absolvi a nemine poterant, nisi lucris prius restitutis. Et superiores immediati, provinciales et generales, qui religiosum suum subditum contra tale praescriptum etiam una vice delinquentem, non puniverint saltem per remotionem eius a loco commissi criminis, incurrebant easdem poenas [38].

Hae poenae abrogatae sunt a Codice juris canonici (can. 6,

---

[35] *AAS.* 39, 1947, 114-124.

[36] Cfr. Oietti, l. c.

[37] Cfr. Bizzari, *Collect.* ed. anni 1885, pag. 338.

[38] CC. Urbani VIII *Ex debito*, 22 febr. 1633; Clem. IX *Sollicitudo*, 17 giugno 1669.

n. 5°), qui contra violatores canonis 142 congruas poenas pro gravitate culpae ab Ordinario inferendas statuit (can. 2380).

Recens Decretum pressius determinat poenas quatenus in reos criminis negotiationis et mercaturae, contra praescriptum canonis 142 patrati, infligit excommunicationem latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservatam, et comminatur degradationem, quae tamen inferenda est, si casus ferat.

Lectorem ad probatos auctores remittentes pro illis omnibus notitiis, quae naturam et effectus talium poenarum respiciunt, hic, ad vim Decreti declarandam, quaerimus: quando violatores canonis 142 contrahunt praedictam excommunicationem; quando plectendi sunt degradatione.

9. Excommunicatio, quam recens Decretum infligit, est latae sententiae, ideoque incurritur ipso facto commissi delicti. Delictum autem, quia de censura agitur, hic est: a) violatio legis (decretum relatum); b) externa; c) consummata seu perfecta in genere suo iuxta proprietatem verborum; d) certo gravis; e) cum contumacia coniuncta.

In casu: a) violatio legis habetur per exercitium negotiationis cuiusvis generis, id est sive artificialis, sive proprie dictae (cfr. supra n. 6, b, c), sola excepta negotiatione oeconomica, quae potius ad rectam rei familiaris administrationem pertinet (cfr. supra n. 6, a); item habetur violatio legis per exercitium negotiationis argentariae quaestuosae, quae fiat per emptionem-venditionem, vel commutationem pecuniarum (*valute*) aut titulorum; et, ob implicitam cooperationem in activitatem mercatoriam, per collocationem pecuniae in emptione actionum societatum mercatoriam (cfr. supra n. 6, e).

b) Hae violationes natura sua semper externae sunt.

c) Consummatae autem censentur quando emptio venditio, vel commutatio juridice contracta est.

d) Certo graves sunt quando obiectum negotiationis, etiam per unum actum exercitae, gravitatem materiae attingit (cfr. supra n. 6, d).

e) Contumacia autem habetur ipsa violatione legis quia, cum agatur de poena latae sententiae, necessaria monitio continetur in ipsa lege.

Ideoque clericus, vel religiosus, vel sodalis recentium Institutorum saecularium incurrit hanc poenam simul hac, scienter et volenter, unam de violationibus de quibus sub littera a) huius numeri in quantitate gravi consummaverit.

10. Degradatio est poena ferendae sententiae, infligenda si casus ferat. Ideoque, supposita violatione graviter imputabili sensu quo supra explicavimus (cfr. n. 10), non incurritur ipso facto sed

debet a Iudice vel Superiore infligi (can. 2217 § 1, n. 2°), praemissis monitionibus a lege statutis (cc. 2233 § 2, 2244 § 2). Potest irrogari vel sola sententia, quo in casu *verbalis* vocatur, vel servatis solemniis in Pontificali Romano praescriptis, et tunc *edictalis* dicitur (can. 2298 n. 12) et continet in se depositionem habitus ecclesiastici et reductionem ad statum laicalem (can. 2305 § 1).

11. Decretum nominat solum violatorem praescripti canonis 142 sensu quo supra explicavimus (cfr. n. 10). At ex canone 2231, si plures clerici, vel religiosi, vel sodales recentium Institutorum saecularium, scienter et volenter, in eandem violationem concurrerint ad normam canonis 2209 §§ 1-3, omnes eadem poena, qua violator, tenentur.

III. Poenae in Superiores.

12. Superioribus ecclesiasticis, sive saecularibus sive religiosis, officium est urgendi in subditis observantiam legum ecclesiasticarum, ideoque etiam legis de vetita negotiatione et mercatura. Si talem officium negligant, concurrunt in delictum negotiationis et mercaturae a subdito commissum et tenentur imputabilitate proportionata obligationi qua adigebantur ad delictum suo officio impediendum (can. 2209 § 6).

Jure veteri Superiores missionariorum, sive immediati, sive provinciales et generales, qui religiosum missionarium suum subditum, contra praescriptum vetitae negotiationis et mercaturae etiam una vice delinquentem, non puniverint saltem per eius remotionem a loco commissi criminis, incrurrebant easdem poenas quas subditus delinquens [38]. Tunc puniebatur in Superiore missionariorum non peracta punitio subditi delinquentis.

Recens Decretum punit in Superioribus, sive clericorum, sive religiosorum, sive sodalium Institutorum saecularium, neglegentiam in officio, quo ligantur, impediendi crimen. Haec neglegentia tamen, quia in poenalibus versamur, debet esse dolosa ut delictum constituat poenis plectendum.

Poenae sunt destitutio ab officio superioris et declaratio inhabilitatis ad quodlibet regiminis et administrationis munus; sunt ferendae sententiae, ideoque secundum normas pro irrogatione poenarum ferendae sententiae in jure statutas infligendae.

IV. Reparatio damnorum.

13. Omne delictum, praeter damnum quod affert societati, quodque est fundamentum responsabilitatis poenalis, potest lae-

dere etiam aliquod jus, ex. gr. vitam, honorem, bona patrimonialia, alicuius. Ex hac laesione oritur obligatio reparandi damna illata, quae obligatio responsabilitas civilis communiter vocatur.

Jus canonicum statuit obligatione reparandi damna teneri non solum auctorem criminis, sed etiam omnes participes principales criminis, nec non participes accessorios, sine quorum concursu delictum non fuerit patratum (can. 2211).

Leges civiles insuper plerumque iubent quodlibet damnum ab auctore criminis reparandum esse, etiamsi processerit ex neglegentia vel imprudentia; et, ob culpam in eligendo vel in vigilando, ad reparanda damna obligant omnes qui pro aliis tenentur respondere.

14. His generalibus juris principiis inhaerens, recens Decretum statuit obligatione reparandi damna, quae forte ex vetitae negotiationis seu mercaturae exercitio alicui illata fuerint, teneri omnes, quorum dolo vel culpae commissum crimen vetitae negotiationis et mercaturae tribuendum sit.

Dolus in jure est deliberata voluntas violandi legem (can. 2200 § 1). Culpa est voluntaria omissio debitae diligentiae in perpendendis effectibus propriae actionis. Quae neglegentia potest esse positiva vel negativa (in faciendo, in non faciendo) et explicari potest vario modo (in eligendo, in vigilando).

Ratione doli delictum tribuendum est a) clerico, vel religioso, vel sodali Institutorum saecularium qui scienter et volenter negotiationem vetitam exercuerit; b) omnibus qui vetitae negotiationi seu mercaturae positive participaverint, sive participatione morali (mandans, jubens, consilium dans), sive participatione physica (opem dans, auxilium praestans).

Ratione culpae delictum vetitae negotiationis tribuendum est clerico, religioso, sodali Institutorum saecularium Superioribus, qui negative in delictum concurrunt quatenus, vel munus minus dignis vel aptis conferentes (culpa in eligendo), vel debitam vigilantiam omittentes (culpa in vigilando), vel crimen non impedientes (culpa in non faciendo), responsabiles fiunt non impediti criminis et damnorum ex delicto alicui illatorum.

15. Proinde si crimen vetitae negotiationis seu mercaturae a clerico commissum fuerit, et damna a commisso crimine alicui illata fuerint, damna reparare debent in primis ipse clericus delinquens, postea omnes participes sive principales, sive accessorii, sine quorum concursu crimen non fuisset patratum; denique Ordinarius clerici delinquentis, sive scienter et volenter crimen non impediverit, sive ob culpam in vigilando, in eligendo.

Quia autem clerici et eorum Ordinarii bona sua propria possidere possunt, e bonis suis propriis damna reparare debent.

17. Pariter si crimen vetitae negotiationis a religioso commissum fuerit, damna alicui forte illata e commisso crimine reparare debent ipse religiosus, omnes participes sive principales sive accessorii criminis, et tandem religiosi Superiores, sive scienter et volenter crimen non impediverint, sive ob culpam in vigilando vel in eligendo.

Quia autem religiosus et eius Superiores bona sua possidere nequeunt, sed possidet pro ipsis religio, damma reparanda sunt e bonis religionis, quae pro ipsis respondere debet. Quod principium, jam ante Codicem admissum [39], nunc recenti Decreto S. C. Concilii confirmatur.

Nec difficultatem facit canon 536, § 3 Codicis juris canonici, quo statuitur: « Si contraxerit religiosus sine Superiorum licentia, ipsemet respondere debet, non autem religio, aut provincia aut domus ». Canon enim 536 respicit actus licitos et obligationes ex contractu vel quasi contractu provenientes; hic autem agitur de reparandis damnis ex actibus illicitis provenientibus (obligationes ex delicto vel quasi delicto).

18. Idem dicendum de sodalibus Institutorum saecularium eorumque Superioribus, qui, si bona sua possidere possunt, e bonis suis damna forte illata reparare debent; nisi bona propria possidere queant, e bonis Institutorum eandem obligationem damna reparandi adimplere debent.

* * *

[39] S. R. Rota in *Lausannen et Geneven, Diffamationis*, 16 martii 1917, *AAS* (1912), 420 ssq.

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

DECRETUM

DE QUINQUENNALI RELATIONE A RELIGIONIBUS, A SOCIETATIBUS VITAE COMMUNIS ET AB INSTITUTIS SAECULARIBUS FACIENDA.

Cum, transactis iam viginti quinque et amplius annis a publicatione Decreti *Sancitum est,* sub die 8 Martii 1922,[1] quo ordinabatur relatio quinquennalis a Supremis Religionum Moderatoribus ad Sanctam Sedem mittenda (c. 510), experientia clare docuerit quaenam ex ibi praescriptis confirmanda definitive videantur, quaenam illis addenda, quaenam autem demenda aut corrigenda sint, prout a dicto Decreto iam innuebatur, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita in coetu plenario Eminentissimorum Patrum diei 4 Iulii 1947, quae sequuntur statuenda decrevit:

I. Ad normam Codicis (can. 510) Abbas Primas, Abbas Superior Congregationis monasticae (can. 488, 8), Moderator Supremus cuiusvis Religionis et Societatis vitae communis absque votis publicis (can. 675) pariterque Moderator Supremus Instituti saecularis iuris pontificii et Praeses cuiuscumque Foederationis domorum Religionum, Societatum in communi viventium vel Institutorum saecularium, ipsisque deficientibus vel impeditis, eorumdem Vicarii (can. 488, 8°), quinto quoque anno relationem de statu Religionis, Societatis, Instituti vel Foederationis ad Sanctam Sedem, scilicet ad hanc Sacram Congregationem Negotiis Religiosorum praepositam, mittant, etiamsi annus pro exhibenda relatione assignatus, ex toto vel ex parte, in biennium ab inito regimine inciderit.

II. Quinquennia sint fixa et omnibus, uti supra (n. I), communia, ipsaque a die prima Ianuarii 1923 computari pergent.

---

[1] *Acta Apost. Sedis*, vol. XIV, a. 1922, p. 161.

III. In relationibus exhibendis ordo, prout sequitur servetur:

1° Ex Religionibus, Societatibus vitae communis, Institutis saecularibus ac Foederationibus iuris pontificii virorum relationem mittent:

primo quinquennii anno: Canonici Regulares, Monachi, et Ordines militares;

secundo anno: Mendicantes et Clerici ceterique Regulares;

tertio anno: Congregationes clericales;

quarto anno: Congregationes laicales;

quinto anno: Societates vitae communis, Instituta saecularia et Foederationes .

2° Ex Religionibus, Societatibus vitae communis, Institutis saecularibus et Foederationibus iuris pontificii mulierum, habito respectu ad regionem in qua de iure domus princeps exstat, relationem mittent:

primo quinquennii anno: Superiorissae Religionum ex Italia, Hispania et Lusitania;

secundo anno: Superiorissae Religionum ex Gallia, Belgio, Hollandia, Anglia et Hibernia;

tertio anno: Superiorissae Religionum ex reliquis Europae regionibus;

quarto anno: Superiorissae Religionum ex Americae regionibus;

quinto anno: Superiorissae Religionum ex aliis orbis partibus et insuper Superiorissae Societatum vitae communis, Institutorum saecularium et Foederationum totius mundi.

IV. Ut Sacra Congregatio necessarias ipsasque certas et authenticas notitias sibi comparare valeat illorum omnium Monasteriorum domorumque sui iuris, virorum et mulierum, iuris pontificii quae ad quinquennalem relationem transmittendam ex can. 510 non obligantur, necnon Congregationum, Societatum vitae communis et Institutorum saecularium iuris dioecesani haec observanda sunt :

1° Superiores maiores Monasteriorum seu domorum sui iuris virorum quae, etsi iuris pontificii, nec ad Congregationem monasticam pertinent nec foederata aliis sint, tempore et ordine supra definitis (n. III, 1°), summariam quinquennii relationem ab ipsis et a propriis Consiliaris subscriptam Ordinario

loci deferent. Ordinarius autem exemplar relationis a se subsignatum, propriis, si casus ferat, additis animadversionibus, ad Sacram Congregationem intra annum ipsum quo relatio facta est transmittere sataget.

2° Superiorissae maiores Monasteriorum Monialium cum proprio Consilio, iuxta ordinem supra (n. III, 2°), pro Generalibus Moderatricibus statutum, brevem ac concinnam relationem quinquennii ab omnibus subscriptam Ordinario loci, si Moniales eidem subiectae sint, secus Superiori Regulari mittant. Ordinarius loci vel Praelatus regularis relationis exemplar, a se subsignatum, propriisque, si res ferat, animadversionibus additis, ad Sacram Congregationem intra annum ipsum quo relatio exarata fuit diligenter transmittendam curabit.

3° Moderatores Supremi Congregationum, Societatum vitae communis et Institutorum saecularium iuris diocesani relationem quinquennalem a se et a proprio Consilio subsignatam Ordinario loci in quo Domus princeps invenitur tempore et ordine supra (n. III, 1° et 2°) statutis exhibeant. Hanc relationem Ordinarius loci aliarum Domorum Ordinariis communicare non omittat eiusque exemplar a se subsignatum et, proprio aliorumque Ordinariorum circa Congregationem, Societatem vel Institutum saeculare addito iudicio, ad hanc Sacram Congregationem intra ipsum annum transmittat.

4° Domus religiosae sui iuris et autonomae domusque Societatis sine votis vel Instituti saecularis, quae in Foederationem non coadunantur, sive iuris dioecesani sint sive iuris pontificii, ordine supra (n. III, 1° et 2°) definito, summariam quinquennii relationem deferent Ordinario loci. Ordinarius autem eiusdem relationis exemplar, a se subscriptum ac propriis, si casus ferat, additis animadversionibus ad Sacram Congregationem pariter intra ipsum annum transmittat.

V. In exarandis relationibus omnes Religiones, Congregationes monasticae, Societates vitae communis, Instituta saecularia et Foederationes iuris pontificii, etsi, exemptionem fruantur, adamussim elenchum quaestionum, qui a Sacra Congregatione proponetur ac directo eisdem communicabitur, sequantur.

Monasteria Monialium, Domus autonomae Religionum, Societatum vel Institutorum saecularium iuris pontificii, Congregationes, Societates atque Instituta saecularia iuris diocesani breviores pro ipsis probandas formulas adhibeant.

VI. Responsa propositis quaestionibus danda, onerata pro rei gravitate conscientia, sincera semper sint atque, accuratis praemissis informationibus, pro viribus completa. Si in aliis quae necessaria videntur deficiant vel responsa incerta vel parum secura appareant, Sacra Congregatio ex officio, prout opportunum iudicaverit, non exclusis, si opus sit, immediate ab ipsa factis investigationibus, ea complenda curabit.

VII. Relatio, antequam a Superiore et a singulis Consiliariis seu Assistentibus ex officio subsignetur, praevio maturo, personali ac collectivo examini subiicienda est.

In mulierum Religionibus, Societatibus vitae communis, Institutis saecularibus ac Foederationibus iuris pontificii Moderatrix suprema relationem, a se et a suo Consilio subscriptam, Ordinario loci generalitiae transmittat, ut ipse, ad normam iuris (can. 510) eidem relationi subscribere valeat; relationem ab Ordinario loci subsignatam Moderatrix generalis ad hanc Sacram Congregationem remittendam tempestive curabit.

VIII. Si quis vero ex Superioribus vel Consiliariis, quibus onus incumbit subscribendi relationi, aliquid non parvi momenti eidem obiiciendum habeat, quod suo voto modificare non potuit, vel aliquid circa ipsam quoquo modo Sacrae Congregationi significandum putaverit, id per privatas litteras praestare poterit et, iuxta casus, ex conscientiae officio ad id tenebitur. Verumtamen memor sit ipse conditionis suae et probe sciat conscientiam suam graviter oneratam iri, si quid a veritate alienum secretis his litteris exponere praesumpserit.

IX. Sub cuiusque anni exitu omnes sive iuris diocesani sive pontificii, tam Religiones, quam Societates vitae communis et Instituta saecularia ac Foederationes prospectus annuos iuxta schemata in formulis a Sacra Congregatione exarandis ac communicandis contenta, praecipuorum quod ad statum personarum, operum aliorumve quae sive Sacrae Congregationis sive Superiorum magis interesse videntur, directo Sacrae Congregationi de Religiosis transmittant.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Pp. XII, in Audientia habita ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis de Religiosis, die 9 Iulii 1947, praesentis Decreti tenorem approbavit et ab omnibus servari et publici iuris fieri mandavit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

+ Fr. L. H. Pasetto, *Secretarius.*

ADNOTATIONES

DE QUINQUENNALI RELATIONE A RELIGIONIBUS, A SOCIETATIBUS VITAE COMMUNIS ET AB INSTITUTIS SAECULARIBUS FACIENDA.

Breves ad Decr. « Cum, transactis » necnon et ad Elenchum quaestionum adnotationes [1]. 1. Historice compertum est Relationem huiusmodi impositam fuisse Religionibus in Ecclesia ex adplicatione disciplinae pro Ordinariis vigentis locorum, quorum onus intime coniungitur cum onere limina Beatorum Apostolorum Petri et Pauli visitandi ac Romano se sistendi Pontifici; eodem enim anno duo onera subeunda sunt (Can. 341 § 1), nisi, ad exceptionem, visitatio, pro Episcopis qui extra Europam sunt, alterius amandetur quinquenniis (Can. 341 § 2). Formularium autem, seu elenchus quaestionum, ad uniformitatem et praecisionem in responsionibus dumtaxat servandam, nullum veluti officiale habebatur: quod vero Prosperus Lambertini (tunc Secretarius S. C. Concilii et postea Benedictus XIV) composuerat, tantum consuetudinaliter auctoritatem et valorem adeptum est et usque ad exitum anni 1909 in Curia obtinuit. Eo enim tempore S. C. Consistorialis, cui, ex piana Curiae reformatione, competentia devoluta erat circa ad limina visitationes et Ordinariorum Relationes, proprium, et quidem praecisius et concretius, formularium habuit, quod a. 1918 vigenti Codici primitus et opportune accommodavit. Praxis autem S. C. Concilii etiam ab aliis Dicasteriis Romanae Curiae fuit imitata, et S. C. de Propaganda Fide iam a. 1877 Relationem huiusmodi Praefectis et Vicariis Apostolicis faciendam imposuit praescripta formula, quae Codici aptata et iterum reformata adhuc viget. Eadem insuper S. C. de Propaganda Fide speciale formularium edidit die 29 iun. 1937 pro Relatione quinquennali Religionum quae ab ipsa exceptionaliter dependent. Etiam S. C. Seminariorum ac Universitatum Decr. *Quo uberiore,* 2 febr. 1924, onus Ordinariis imposuit quolibet triennio Relationem de Seminario dioecesano pariter praescripta formula faciendam.

2. Verum in iure Religiosorum Relatio imposita non invenitur nisi ab a. 1861 et quidem partialiter, non totaliter, cum nonnullis tantum Congregationibus imponeretur et nulli Regularium. Revera huius Relationis necessitas et magna utilitas undequaque persentiebatur, et apud S. C. Epp. et Regg. per adiectionem ad Consti-

---

[1] Cum mens nobis sit, Deo opitulante et fovente, profundius in quaestione pertractanda inquirere, damus tantum hic praeliminaria quaedam, ad modum praesentationis novae huiusmodi ecclesiasticae legislationis quae religiosos concernit.

tutiones ex animadversionibus Commissionis pro adprobatione [2] obligatio imposita fuit quolibet triennio Relationem ad S. Sedem mittendi de statu personali, disciplinari et oeconomico Instituti, praemissa brevi notitia historiae ipsius Religionis. Haec obligatio primitus Sororibus S. Pauli Carnotensis (12 iul. 1861) et Sororibus Nazarethanis dioecesis Catalaunensis (27 sept. 1861) adiecta fuit [3]. Sed praxis inde exsurgens mox sat communis evaserat pro Sororibus [4], non autem pro viris religiosis, quibus veluti exceptionaliter imponebatur obligatio. Primum exemplum habetur in Constitutionibus Presbyterorum Oratorii D. N. I. Ch. et Immaculatae Virginis (22 mart. 1864).

Normae a. 1901 praxim receperunt atque generalem reddere voluerunt tam pro viris quam pro mulieribus religiosis (cfr. art. 262 Normarum). Quamvis enim de religiosis feminis expresse loquerentur, tamen, ex praeciso praescripto earumdem, verba feminina etiam de viris religiosis intelligenda erant. Verum *Normis* in se non inerat vis obligandi; hinc obligatio mittendi Relationem ad Sanctam Sedem ex praescripto dumtaxat Constitutionum oriebatur, quae art. 262 Normarum continerent, ac proinde non tenebantur ad Relationem mittendam Religiones illae, quarum Constitutiones, olim adprobatae, de huiusmodi re silerent [5]. Cerius Decr. *In approbandis*, quod die 16 iul. 1906 eadem S. C. Epp. et Regg. edidit, dum consuetudinem eo usque tempore servatam in proemio collegit et ad Relationem ipsam faciliorem reddendam speciale formularium praescripsit, nullam obligationem imposuit Relationem conficiendi iis Religionibus, quibus onus huiusmodi antea extensum non erat, quarum nempe Constitutiones obligationem illam insertam non haberent.

Progrediente denique Codificatione a. 1912 voluit S. C. de Religiosis etiam Regularibus et omnibus aliis Religiosis Relationem imponere; sed ex variis circumstantiis et praesertim quia promulmatio Codicis imminebat, nihil reapse factum est.

3. Promulgato igitur Codice, cum Can. 510 universaliter praescribat huiusmodi Relationem esse ab omnibus Religionibus iuris Pontificii quinto quoque anno vel saepius, si ita ferant Constitutiones, faciendam, S. C. de Religiosis Decr. *Sancitum est*, 22 febr. 1922, et tempus et ordinem et formam Relationis ipsius pressius determinavit, et antiquum formularium iam a. S. C. Epp. et Regg.

---

[2] Cfr. Maroto, Annotationes ad Decr. *Sancitum est; CpR.*, 1922, p. 252.

[3] Cfr. Bizzarri, Collectanea, p. 794; cfr. etiam Larraona, Commentarium Codicis, ad Can. 510; *CpR.*, 1927, p. 275; Battandier, Guide Canonique, nn. 404, 405.

[4] Cfr. Larraona, ibid.

[5] Cfr. Maroto, art. cit.

concinnatum, quod quidem altius et profundius elaborare intenderat, Codici veluti provisionaliter aptavit illudque Regularibus, *donec aliter provisum fuisset,* non extendit. Qua re, iuxta Decretum, ad Relationem conficiendam et mittendam tantum ii obligabantur, qui in Can. 510 nominabantur, nempe: Abbas Primas, Benedictinorum scil. Nigrorum S. Anselmi de Urbe, Superiores Congregationum Monasticarum, Moderator supremus cuiusvis Religionis iuris Pontificii tam virorum quam mulierum, sive clericalis aut exempta fuisset Religio, sive laicalis aut non exempta. Ex paritate iuridica (can. 675) adiungebatur quoque supremi Moderatores Societatum iuris Pontificii in communi viventium sine votis aut sine votis publicis. Nulla proinde obligatione tenebantur Religiones iuris dioecesani, monasteria Monacharum et Domus religiosae autonomae v. gr. Domus Oratorii S. Philippi Nerii. De Religionibus autem iuris dioecesani deque Monialium Monasteriis Domibusque religiosis autonomis Ordinarii locorum S. C. Concistoriali referebant, quae quidem, in casibus gravioribus, ad S. C. de Religiosis transmittere solebat eam partem Ordinariorum Relationis quae Religiosos concernebat. Noviter vero editum formularium decretum tantum iis Religiosis imposuit quibus antiquum impositum fuerat: quare Regulares obligabantur quidem ad Relationem conficiendam et mittendam, sed non stricte iuxta formularium, dummodo completa esset et sufficienter edoceret S. Sedem de reali statu Religionis, graviter onerata conscientia.

Tempus Relationis conficiendae et mittendae fuit fixum quinquennium, iuxta Can. 510; sed Codex non omnino voluit veterem praxim religiosam abolere, quam servare aliquatenus intendit in inciso: « vel saepius si ita ferant constitutiones »: quae verba in Decr. *Sancitum est* de constitutionibus post Codicis promulgationem revisis et adprobatis interpretata sunt. At antiqua praxis triennalem conficiendi Relationem nova recepta absolevit, et tantum in aliquibus peculiaribus circumstantiis singulis Religionibus quandoque impositum fuit ut de certa re aut negotio vel etiam de statu generali Religionis referrent non expectato quinquennio; nec amplius antiqua praxis in Constitutionibus firmata fuit.

Forma autem generalibus verbis in Can. 510 indicatur, quatenus « Relationem de statu Religionis ad Sanctam Sedem per documentum » (non igitur vivae vocis oraculo, sed scripto) mittere debent Superiores, « subsignatum a se (nempe a Superiore) cum suo Consilio et, si agatur de congregatione mulierum, etiam ab Ordinario loci in quo suprema Antistita cum suo Consilio (habitualiter) residet », ad authenticandam dumtaxat subsignationem

Superiorissae eiusque de Consilio Sororum [6]; mulieres enim nequeunt directa cum S. Sede agere; et Ordinariis non licet sese in regimen internum ac disciplinam Religionum iuris Pontificii ingerere (can. 518 § 2, 2°).

Ordo denique Relationis mittendae, ad exemplum ordinis pro Relatione Ordinariorum in Can. 340 § 2 constituti, in Decr. *Sancitum est* praecise statuebatur, ex criterio praecedentiae et maioris dignitatis pro viris, et ex criterio geographico, nempe loci in quo sita erat Domus generalitia, pro mulieribus; initium autem obligationis annus 1923 factus est, a quo quinquennia incipiebant.

4. Rebus sic stantibus, S. C. de Religiosis graviter cordi habuit, experientia edocta, illos ex disciplina Relationum momentosos effectus pro vita et sanctitate Religionum obtinere, qui facile portendi possent dummodo disciplina illa et praecisius ordinaretur et sanctius servaretur. Constat enim quam ingentem et S. C. Consistorialem relate ad Ordinarios locorum iuris communis et S. C. de Propaganda Fide relate ad Ordinarios Missionum molem derivasse documentorum, quae haud leve momentum indubie habent quoad historiam et statisticam necnon, quod sane maius est, quoad practicum exercitium Primati honoris et iurisdictionis Romani Pontificis, qui hac via facilius potest et singulos Ordinarios singulasque ecclesias opportune defendere, et abusus in ecclesiastica disciplina forte irreptos compescere.

Ut igitur eadem aliaque similia commoda obtineret, S. C. de Religiosis, expresse provocans ad decretum *Sancitum est,* die 9 iul. 1947 novum edidit Decretum *Cum, transactis,* quo nova constituitur et imponitur super hac re disciplina, novumque adiungitur triplex formularium seu « Elenchus quaestionum quibus a Religionibus et Societatibus in Relatione ad Sanctam Sedem quinto quoque anno transmittenda respondendum est... ».

5. Quae quidem nova disciplina est praeprimis *universalis* pro Religionibus et Societatibus iuris Pontificii; tenet enim non solum Superiores de quibus expresse in Can. 510, sed et Supremum Moderatorem Instituti Saecularis iuris Pontificii [7], et Praesidem cuiuscumque Foederationis domorum Religionum, Societatum in communi viventium vel Institutorum Saecularium: unde non amplius eximuntur a Relatione conficienda et transmittenda Domus illae autonomae Monasteria Monialium quae veluti in foederatione aliqua uniuntur vel in posterum unientur (art. I). Nec coeterae Religiones exemptae sunt, cum et Superiores Maiores Monasteriorum sui iuris

---

[6] Cfr. Larraona, op. cit. *CpR.*, 1927, p. 282-283; Schäfer, De Religiosis, Romae, 1940, n. 145.

[7] Cfr. Const. Ap. *Provida Mater Ecclesia*, 2 febb. 1947.

seu Domorum independentium, et Superiorissae Maiores Monasteriorum Monialium, et supremi Moderatores Congregationum, Societatum, Institutorum Saecularium iuris dioecesani, et Superiores Domorum sui iuris aut Societatis vel Instituti Saecularis iuris Pontificii aut dioecesani, pariter ad hanc Relationem quinquennalem conficiendam adstringentur, quam exhibere tenentur, in scriptis et rite subsignatam, non Sanctae Sedi sed Ordinario loci, cuius curae Relationis exemplar, Ordinarii subsignatione et, si casus ferat, opportunis animadversionibus (agitur enim de Religiosis plene Ordinario loci subiectis), exornatum ad S. C. de Religiosis intra annum transmittendum erit (art. IV, 1°-4°). Nullam igitur Religionem obligatio Relationis conficiendae et exhibendae effugit in nova disciplina, quamvis quandoque gravis habeatur differentia substantialis in Relatione conficienda aut in eadem exhibenda. Siquidem Superiores Maiores Monasteriorum seu Domorum sui iuris virorum (art. IV, 1°) et Superiores domorum religiosarum sui iuris aut autonomarum Domorum Societatis sine votis vel Instituti Saeculari iuris dioecesani aut Pontificii (art. IV, 4°) *summariam* tantum Relationem exhibere tenentur; Superiorissae autem maiores Monasteriorum Monialium (art. IV, 2°) *brevem ac concinnam:* non enim, ex paritate materiae, quae ab uno Monastero aut ab una domo seu a numero earum desumatur, omnibus necesse erit quaestionibus Elenchi fuse et abunde respondere. Praeterea, Moniales quae Superiorem Regularem habent, huic, non Ordinario loci, Relationem mittunt: qui Superior Regularis, non secus ac Ordinarius loci, Relationis exemplar S. C. de Religiosis intra annum mittere curabit. Insuper, Relatio Religionis iuris dioecesani, quae in pluribus dioecesibus existit, Ordinario loci mittenda est, in quo sita est Domus princeps, qui cum aliis Ordinariis locorum in quibus Domus Religionis habeantur ipsam communicare debet. Quapropter triplex est Elenchus quaestionum quibus respondendum erit: maior enim pro Religionibus et Societatibus iuris pontificii, medius pro Congregationibus et Societatibus iuris dioecesani, et minor pro Monasteriis et Domibus religiosis sui iuris non foederatis (art. V). Prima forma largiores continet et numero et pondere quaestiones; secunda et tertia breviores sunt et ad conficiendam Relationem inserviunt quae summaria aut brevi et concinna dicitur in decreto.

Universalitas denique obligationis ex eo etiam patet quod, contra ac statutum est in Decr. *Sancitum est* (art. II) et in Can. 340 § 3, pro Relationibus Ordinariorum locorum, praesens Decretum *Cum, transactis* expresse posuit esse Relationem exhibendam (art. I) etiam in casu quo initium suscepti regiminis in primum biennium inciderit ab exhibitione ultimae Relationis; deficientibus autem Su-

perioribus aut iisdem impeditis, obligato eadem Vicarios eorumdem tenet (ibidem). Et sane strictior regula necessitatibus hodiernae Societatis respondet, tum quoad uniformitatem, tum quoad utilitatem practicam Ecclesiae et Religionis; si enim etiam peculiaria Religionis alicuius exacte et praecise ac concinne apud S. C. de Religiosis noscantur, potest S. Sedes opportune intervenire, Religionem ipsam impetitam defendere, abusus compescere, optime gesta laudare, Religioni nova opera concedere, etc.

6. Quoad ordinem pro Relatione exhibenda statutum, praesens Decretum, dispositiones art. I Decr. *Sancitum est* quoad criteria generalia plene recipit, sed, cum lex nunc universalis facta sit cumque experientia teste convenientiores dispositiones necessariae videruntur, opportunae immutationes ac transpositiones factae sunt; ita v. gr. Clerici Regulares, qui iam in tertio anno quinquennii Relationem exhibere debebant, nunc in secundo anno eam exhibent, et Congregationes clericales, in tertio anno Relationem faciunt, relicto quarto anno pro Relationibus Congregationum Laicalium; quintus annus Societatibus adsignatur vitae communis, Institutis Saecularibus et Foederationibus: quae quidem in Codice veluti tres Appendices ad ius religiosorum constituunt. Ordo autem pro Relationibus Religionum mulierum statutus immutatus manet etiam in *Decr. Cum, transactis,* additis tantum in quinto quinquenii anno Institutis Saecularibus et Foederationibus. Ita omnia rationabiliter distributa sunt ne aliquo anno praegravis sit labor S. C. Congregationis, aliquo vero praelevis. Insuper, ex dispositione supra relata, quinquennia absolute fixa sunt nec ab eis eximi potest Religio aliqua sub praetextu quod Superior regimen susceperit intra primum biennium ab exhibitione ultimae Relationis aut quod Superior ipse deficiat vel impeditus quocumque, etiam legitimo, modo sit. Ratio duplex, tum Relatio huiusmodi obiectiva est et non stricte personalis sicut Relatio Ordinarionum locorum, tum quia Superiores plerunque sunt temporarii et facile possent induci ad Relationem ipsam omittendam, si eisdem Can. 340 § 3 adplicaretur.

7. Forma autem specifice et determinate in Decreto praesenti praescribitur. Imprimis enim, ut supra notatum est, formularium, seu Elenchus quaestionum in forma sive longiore pro Religionibus, Societatibus, Institutis Saecularibus et Foederationibus iuris Pontificii a S. C. Religiosorum propositus, sive brevi pro Congregationibus et Societatibus iuris dioecesani, sive breviore monasteriis et Domibus religiosis sui iuris non foederatis, in exarandis Relationibus obligatorium est (art. V). Deinde, sicuti antea fiebat, praemitti debent Relationi illae historicae notitiae, pro viribus completae, quae necessariae sunt ut Religio ipsa seu Domus seu Monasterium in suis elementis individuari possit et in suo gradu respectivo col-

locari. Tertio, aptum responsum propositis quaestionibus dandum est obiectivae veritati respondens, onerata pro rei gravitate conscientia; si enim in necessariis Relationes deficiant, S. Congregatio de Religiosis eas pro opportunitate ex officio complere potest (art. VI). Ad hanc insuper veritatem obiectivam obtinendam et imponitur ut confecta Relatio maturo, personali ac collectivo, seu capitulariter veluti peragendo cum suffragiorum latione, examini subiiciatur, nempe a Superiore cum suo Consilio (art. VII); et praescribitur ut si quis ex Superioribus vel Consiliariis, quibus onus incumbit subscribendi Relationi, aliquid non parvi momenti eidem obiiciendum habeat, quod suo voto in examine Relationis ipsius peragendo modificare non potuit, vel aliquid circa ipsam quoquo modo S. Congregationi significandum putaverit, id per privatas litteras praestare poterit, immo, iuxta casus, ex conscientiae officio ad id tenebitur; caveat autem ne imprudenter agat aut ex simultate vel ex alia haud probanda causa S. Congregationi falsum exponat aut obiective non verum eamque tali modo in errorem inducat (art. VIII). Quarto, Relatio, ut supra confecta et in Consilio Superioris conficientis capitulariter examinata et adprobata, subscribi debet a Superiore cum suo Consilio, ad normam Can. 510 (cfr. art. VII Decreti *Cum, transactis*) et ad S. C. de Religiosis directe transmitti; Religones vero foeminarum iuris Pontificii, post subscriptionem supremae Moderatricis eiusque Consilii, Relationem Ordinario loci, in qua sita est Domus generalitia, transmittere debent, ut ipse, ad normam iuris (Can. 510) eidem subscribere valeat, ad authenticandam dumtaxat subscriptionem Superiorissae aliarumque Sororum de Consilio; sed Moderatrix ipsa generalis eamdem Relationem ad S. C. de Religiosis directe mittere debet (art. VII Decreti).

Superiores autem maiores Monasteriorum seu Domorum sui iuris et Superiores Domorum religosarum sui iuris et autonomarum Domorumque Societatis sine votis vel Instituti Saecularis « summariam » Relationem Ordinario loci tradere debent, qui Relationis exemplar a se subsignatum et opportunis animadversionibus, si casus ferat, exornatum S. C. de Religiosis transmittat intra annum.

Idipsum observatur circa Relationes Superiorissarum Maiorum Monasteriorum Monialium (quae tamen si Regularibus subiiciantur, relationem Superiori Regulari consignare debent, a quo ad S. C. de Religiosis Relationis exemplar transmittatur), necnon et Moderatorum Supremorum Religionum iuris dioecesani, quae propriam Relationem mittere debent Ordinario loci, in quo Domus princeps invenitur: qui proinde Ordinarius et eamdem communicare cum aliis Ordinariis locorum, in quibus Domus Religionis

illius seu Societatis seu Instituti Saecularis habeantur, curabit, et eiusdem exemplar rite subsignatum tempestive ad S. C. de Religionis transmittat.

8. Triplex elenchus quaestionum nuper editus et amplitudine et pondere differt ab Elencho praecedenti diei 25 mart. 1922. Hic enim totam continebat materiam de personis, de rebus, de disciplina 105 articulis; illud e contra in forma largiore pro Religionibus et Societatibus iuris pontificii triplici capite de Religione eiusque regimine agit, de Religosis et de vita ac disciplina religiosa, et de operibus et ministeriis Religionis, et totam absolvit materiam 342 articulis; in forma autem brevi pro Congregationibus et Societatibus iuris diocesani articulis 322; in forma vero breviore pro Monasteriis articulis 171 absolvuntur. Pondere autem, ut iam ex simplici enuntiatione apparet, valde differunt antiquus et novi Elenchi. Relicto enim ordine traditionali, vel potius extenso, quo Relatio circa statum personalem, oeconomicum et disciplinarem versabatur, novus Elenchus largior post practicas instructiones de materiali redactione et transmissione Relationis, postque necessariam cum Relatione praecedenti coordinationem, agit immediate de Religione eiusque regimine nempe de natura, fine, ad alias Religiones relatione et interna organizatione seu partitione Religionis deque eius iuridico regimine personali, quoad capitula, Superiores et consilia et quoad exercitium potestatis ac cum Ordinariis locorum relationem; de regimine *spirituali* quoad confessarios, directionem spiritualem, receptionem SS. Eucharistiae, instructiones spirituales et catecheticas; de regimine *oeconomico* quoad bonorum adquisitionem et inscriptionem, conservationem et administrationem, admodum minute et praecise ne in hac materia vel ex imprudentia aliquid maculae habeatur. Deinde in Capite II agit Elenchus largior de Religiosis et de vita ac disciplina religiosa: quod praemissis quaestionibus de diversitate classium religiosorum deque unius cuiusque classis votis, totam vitam religiosi veluti opportune amplectitur, ab admissione ad postulatum usque ad professionem; vitamque et disciplinam religiosam continet circa vota, Constitutiones, habitum, pietatis exercitia, caritatem, lectionem librorum; ac demum de egressis agit, dimissis aliisque Religionem relinquentibus, deque diversis Religiosorum classibus et conditionibus. Tertio agit Elenchus largior de operibus et ministeriis Religionis in genere et in specie. Ad modum postremo conclusionis, iudicium summarium et comparativum expetit huiusmodi Elenchus a Superioribus circa statum Religionis, seu circa religiosorum tendentiam ad perfectionem, circaque statum disciplinarem et oeconomicum necnon et circa finem specialem et opera Religionis. Quae

quidem omnia, etsi minutissima, haud spernenda vel levia habenda sunt, cum perfectae vitae religiosae, zelo apostolatus decoratae, apprime respondeant religiosamque perfectionem aemulatione ac desiderio suscitent ac S. C. de Religiosis optimas tradant valde utiles notitias; S. C. de Religiosis vero hac via potest facilius et convenientius magnos omnium Religiosarum labores ad unitatem reducere ac dirigere ne in cassum exantlentur, ad maiorem Dei gloriam et ad bonum Ecclesiae et animarum.

Eodem modo ordinantur aliae formae Elenchi, quae ex parvitate materiae minores numero habent quaestiones.

Adnectitur Elencho primae et secundae formae folium « Conspectus status Domorum » Relationi quinquennali adiungendum, quod summatim et schematice statistica data contineat. Tertiae formae Elencho non adnectitur, ob evidentem rationem.

9. Aliquid omnino novum in iure Religiosorum continetur in art. IX Decreti *Cum, transactis:* annualis nempe relatio omnium prorsus Religionum S. C. de Religiosis directo mittenda de praecipuis quod ad statum personarum, operum aliorumve quae sive S. Congregationis sive Superiorum magis interesse videntur. Quae Relatio annualis, iuxta prospectus typis a Sacra ipsa Congregatione impressos, generalia schematice et statistice continere debet, super quibus fieri postea debet Relatio quinquennalis. Ita fit ut officia statistica S. C. de Religiosis quotannis novis documentis augeantur ac semper exigentiis modernioribus et aptentur et comparentur.

10. Nec vigilantia huiusmodi S. C. de Religiosis super omnes sibi subiectos exaggerata videri potest, cum sit fons multiformis boni spiritualis bonumque ipsum materiale Religionum opportune et caute servet. Ratio autem extensionis obligationis de statu Religionis referendi, pro Religionibus iuris Pontificii, iuxta formularium a S. C. de Religiosis editum est paritas iuridica omnium Religionum coram lege ecclesiastica et insuper uniformitas Relationum ipsarum, ex quibus complete ac veridice desumi possit quinam sit status actualis singularum Religionum arbitria insuper opportune praevenienda erant quae facile irrepere potuissent. Extensio vero obligationis ad Monasteria monialium et ad Domus independentes, quae quidem ex Codice non obligantur ad Relationem conficiendam, inde provenit et iustificatur quod S. Congregationi de Religiosis magis interest de re edoceri prae S. C. Consistoriali, cui mittitur Relatio quinquennalis Ordinariorum locorum cum notitiis de Religiosis qui in dioecesibus perfecte Ordinariis locorum subiiciuntur. Pariter in formulario S. C. de Propaganda Fide pro Relationibus Ordinariorum Missionum nonnulla continentur quae Religionum statum concernunt, quaeque, si indubie certo modo pertinent ad S. C. de Propaganda Fide, cui Religiosi omnes in terri-

torio missionario degentes, qua missionarii, sive uti singuli, sive simul sumpti, subiiciuntur (can. 252 § 5); at multo magis eadem ad S. C. de Religiosis pertinent utpote quae Religiosos concernunt qua tales. Et ita dicendum quoque erit de Relationibus illarum Religionum quae exceptionaliter a S. C. de Propaganda Fide dependent. Cum autem in Can. 512 § 1, 1° et § 2, 1° obligatio imponitur Ordinariis locorum quinto quoque anno singula Monasteria canonice visitandi, opportune statutum est in Decreto *Cum, transactis* ut Relatio, quam Monasteria huiusmodi et Domus sui iuris independentes conficere quoque debent, quaeque iuxta aptam formulam tertii Elenchi, conficienda est, ad Ordinarios transmittatur et per Ordinarios eiusdem exemplar ad S. C. de Religiosis perveniat. Eadem et pro Religionibus iuris diocesani dicenda sunt; non enim Religiones huiusmodi ad Relationem conficiendam per Codicem obligantur, et de eis Ordinarii locorum ad S. C. Consistorialem vel ad S. C. de Propaganda Fide referunt. At disciplina codiciali et postcodiciali omnes qui aliquo modo in Ecclesia latina publicam professionem faciunt religiosae perfectionis, S. C. de Religiosis plene et directe subiiciuntur, cuius est igitur de eis inquirere, eosque defendere et, si casus ferat, arguere aut de eis quomodocumque legiferare. Relatio autem, iuxta aptam formulam secundi Elenchi confecta, per Ordinarium loci ad S. C. de Religiosis perveniat, ne videatur S. Congregationem Ordinarium loci omnino extromittere velle.

11. Triplici denique Elencho « Animadvertenda » praeponuntur, quae partim communia, partim vero peculiaria continent. Ad communia itaque pertinent non solum normae minutae de materialitate redigendae Relationis, sed etiam, praescriptiones ut in prima Relatione transmittantur quoque S. Congregationi duo exemplaria Constitutionum Codici accommodatarum, privilegiorum, librorum consuetudinum, liturgicorum et precum, Statutorum pro domibus institutionis religiosae et clericalis necnon et Rationum pietatis, educationis atque studiorum; peculiaria insuper Statuta pro aggregatis tertiariis, donatis vel aliis id genus personis, et formularia quae in usu sunt sive pro nominatione ad numera, sive pro relationibus et visitationibus perficiendis, et alia formularia si quae habeantur; relatio denique historico-iuridica Religionis aut Monasterii, sive quoad eius existentiam materialem sive quoad eius vitam iuridicam, addita imagine luce expressa specialis vestis, si quae habeatur, tum professorum tum novitiorum.

Peculiaria autem sunt quae circa Relationem ad S. C. de Religiosis transmittendam pro Congregationibus et Societatibus iuris dioecesani in « Animadvertendis » decernuntur. Congregationes enim et Societates iuris dioecesani ligantur imprimis iure communi

Religiosorum non secus ac Religiones iuris Pontificii: quare, nonnulla quae Religiones iuris Pontificii concernunt, etiam Congregationes et Societates iuris dioecesani tenent, nonnulla vero pro iis peculiariter statuta sunt. Proinde, Ordinarius loci, in quo sita est Domus princeps Religionis iuris dioecesani, Relationem quinquennalem, a Superiore Generali cum suo Consilio subsignatam, sibique oblatam, cum aliis Ordinariis locorum, in quibus domus Religionis extant, communicare debet: qui Ordinarii, Relatione attente examinata, animadversiones quas opportunas iudicaverint atque proprium iudicium circa Religionem, scripto communicent cum Ordinario Domus principis vel directo transmittant S. C. de Religionis; insuper, debet Ordinarius Domus principis Relationis exemplar a se subsignatum ad S. Congregationem remittere intra annum in quo Relatio ipsa fieri debet, addito voto seu proprio iudicio de Religione ipsa, additisque animadversionibus et votis aliorum Ordinariorum, si quae receperit, necnon et notitiis de exercitio potestatis cumulativae Ordinariorum eorumdem; denique, curare quoque debet ut animadversiones S. Congregationis ad Relationem quantocius Superioribus Religionis communicentur et, si casus ferat, ad praxim deducentur.

Notatu quoque digna sunt, ad rectam Elenchi primae et secundae formae intellegentiam, quae in « Animadvertendis » posita sunt, quaestionibus nempe asterisco signatis tantummodo Religiones virorum respondere debere; quaestionibus vero cruce signatis, tantummodo Religiones mulierum.

Sac. Augustinus Pugliese *S. D. B., Comm. pro Studiis S. C. De Religiosis.*

N. B. - Triplex Elenchus quaestionum venalis prostat apud: *Archivio della S. C. dei Religiosi - Palazzo San Callisto - Roma.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

COMMUNICATIO

Bellum, tot cladibus et ruinis lugubre, nec aedibus sacris pepercit, ex quibus multae deletae, permultae damnis affectae, ita ut praeter egregiae artis opera etiam musica organa non pauca destructa aut inutilia effecta sint.

Supervacaneum est animadvertere, in sacra liturgia musicum organum in eximii muneris partes vocari et ad id conficiendum, quamvis exiguae molis sit, magnum sumptum exquiri. Quare postremis hisce temporibus Societates musicis instrumentis struendis electrophonica organa excogitarunt, quae omnino pneumaticis organis cedunt, at in fabricatione et usu notabilia commoda praebent.

Hisce omnibus perpensis, Sacra Congregatio Rituum, quamvis antiquum tubulatum musicum organum omnibus partibus praeferendum esse confirmet, utpote liturgicis necessitatibus magis congruens, tamen electrophonicorum organorum usum non prohibet. Huius rei causa hoc Sacrum Dicasterium, quamquam agnoscit huiusmodi organum, ut alterum tubulatum digne substituat, perficiendum et perpoliendum esse — quod ut agant Societates, vehementer hortatur — relinquit tamen iudicio sacrorum Praesulum ceterorumque Ordinariorum, ut ii, audita opinione Dioecesanorum Consiliorum musicae sacrae fovendae, in singulis casibus, cum facile non contingit tubulatum organum comparare, in ecclesiis sinant usum organi electrophonici, additis immutationibus, quas supra memorata Dioecesana Consilia suggesserint.

Datum Romae, die 13 Iulii a. D. 1949.

+ C. Card. Micara Ep, Velitern., *Praefectus.*

L. + S. (*Acta Apost. Sedis,* vol. XLI, pag. 617).

ADNOTATIONES

LEGES: Pius X - Motu Proprio *Inter pastoralis officii* d. 22 nov. 1903, art. 15, 18, 19, 20. - Pius XII Const. Ap. *Divini cultus sanctitatem* d. 20 dec. 1928, n. VIII. - *Caerimoniale Episcop.* Lib. I, cap. 28 n. 11. - S. R. C. *Ordinat.* a. 1884 art. 2; *Ordinat.* a. 1894, art. 6 - *Decr. auth.* n. 4217, 4344; *Rescr.* d. 5 dec. 1938, n. D- 10/38; 4 sept. 1939, n. S. 82/39; 27 nov. 1941, n. 808/41.

AUCTORES - Noël A. Bonavia Hunt, *The organ of tradition or its imitation?* London 1938. Romita F., *La proibizione della S. Sede di introdurre in chiesa il così detto organo Hammond.* Roma 1949 - Echarri B., *El « Hammond » ha sido declarado liturgico?* in *Tesoro Sacro Musical* XXXII (1949), 1-3, 14-18. - Idem. *Mas sobre el « Hammond »*, ibid. 5, 34-36.

SUMMARIUM: 1. Principia de usu ac natura musicalium instrumentorum in sacra liturgia. 2. De praecedentibus S. Rituum Congregationis declarationibus in subiecta materia. 3. Natura ac momentum praesentis Communicationis. 4. An et quatenus instrumenta electrophonica in ecclesias introduci queant.

1. Pius X in Motu Proprio *Inter pastoralis officii,* quod iure meritoque Codicem musicae sacrae iuridicum Ipse appellavit, statuit: « Quamvis musica Ecclesiae propria solummodo vocalis sit, licet tamen musicam organo moderari » [1].

Et Pius XI organi naturam ac officium praeclaris hisce laudibus illustravit: « Est quidem Ecclesiae proprium musicum instrumentum a maioribus traditum, organum, ut aiunt; quod ob miram quamdam granditatem maiestatemque, dignum habitum est ut cum liturgicis ritibus coniungeretur, sive, silente choro, ad praescripta, harmonias suavissimas eliciendo » [2].

Haec vero principia traditione fere millenaria in Ecclesia sunt confirmata. Alia autem musicalia instrumenta, quae propria sunt profanae symphoniae v. d. « orchestra », Ecclesia ad sacri ac profani permixtionem vitandam in Sacra Liturgia merito prohibuit [3], « eorum (synphoniacorum) manipulum delectum numero circumscriptum, catum, loco congruentem speciali aliqua ratione, ex venia Ordinarii » permittens, « dummodo et musicum opus et collata ad tibias vox gravem stylum redoleant, eumdemque comparem et omnino similem vocis organi propriae [4].

---

[1] *Motu Proprio* cit. art. n. 15.
[2] *Const. Ap.* cit. n. VIII.
[3] Cfr. *Motu Proprio* cit. n. 19.
[4] Ibid. n. 20.

Nihilominus Ecclesia ut aliarum scientiarum ac artium, ita et thechnicae organariae progressum minime improbat.

« At vere — animadvertit Pius XI — in hoc etiam illa vitanda est sacri et profani permixtio quae causa tum fabrorum qui organa conficiunt, tum modulatorum quorumdam qui novissimae musicae portentis indulgent, huc demum evaderet ut de ipso, ad quem destinatur finem, mirificum hoc instrumentum deflecteret. Equidem ad liturgiae normas Nosmet ipsi optamus ut quaecumque ad organum spectant nova semper incrementa capiant; sed temperare Nobis non possumus quin conqueramur quod, uti olim aliis musicae formis quas merito Ecclesia prohibuit, ita hodie novissimis sane formis tentetur ut in templum profani spiritus invehantur; quas quidem formas, si gliscere inciperent, facere non posset Ecclesia quin omnino damnaret. Personent in templis ii tantum organi concentus qui maiestatem loci referant ac rituum sanctitudinem redoleant; hoc enim pacto ars tum fabrorum in construendis organis, tum musicorum in eisdem adhibendis, revirescet ad liturgiae sacrae efficax adiumentum » [5].

Hinc S. Rituum Congregatio sic dictas « campane tubolari » in organo prohibuit itemque usum instrumentorum v. d. « grammofoni », « radio », et similium.

2. Ut notum est, sonus vibrationibus alicuius sonori corporis producitur. Verum post miram vis electrycae inventionem eiusque latissimam in hominum usum diffusionem quidam abeunte saeculo praeterito huiusmodi vibrationes novissima hac vi producere conati sunt [6]. Constructa ideo fuerunt electrophonica instrumenta, quae, etsi diversis insignita fuerint nominibus, iisdem tamen physicis principiis innixa sunt.

Die autem 14 aprilis 1938 quaesita fuit a S. Rituum Congregatione approbatio ad usum liturgicum instrumenti electrophonici « Hammond » dicti ab eius inventore.

At S. Congregatio, audito etiam Commissionis pro Sacra Liturgia, cum in novi propositi instrumenti forma haud invenisset quae in subiecta materia liturgice requiruntur, opportunum censuit expetitam adprobationem saltem pro dicto tempore denegare [7].

Quam decisionem eadem S. Congregatio confirmavit sequentibus litteris:

---

[5] *Decr. auth.* n. 4344.

[6] Cfr. W. Apel, *Harvard Dictionary of Music*, Cambridge, Massachuttes 1946, sub voce *Electronic instruments*, pag. 235 ss.

[7] S. R. C. d. 5 dec. 1938, n. 10738.

S 82-39

Illme Domine,

petitioni D. T. diei 24 elapsi mensis iunii ad hanc Sacram Rituum Congregationem missae circa introductionem in ecclesias et approbationem organorum Hammond pro sacris functionibus, Sacra haec Congregatio, omnibus mature perpensis, audito quoque Consultorum suffragio, respondendum censuit: Negative.

Quae dum T. D. communico, omnia fausta in Domino adprecatus permaneo.

Romae, die 4 septembris 1939.

A. Carinci, *S. R. C. Secretarius.*

Revera S. Rituum Congregationis responsiones supra citatae, quamvis privatis personis directae nec in commentario officiali « Acta S. Sedis » editae fuerint, attamen tamquam decreta aequivalenter generalia habenda sunt, attenta generali formula, qua et dubii propositio et eiusdem responsio concepta fuit.

3. Communicatio autem, de qua agimus, inter decreta generalia vel aequivalenter generalia accensenda non videtur, tum ex ipsa verbi « communicatio » significatione, quum ex natura declarationum, quae in citato documento continentur. Potius dicendum in casu agi de generica quadam norma practica ad solvendas difficultates contingentes, quae post immane bellum in dies excreverunt: ut in ipso Communicationis initio explicite dicitur.

Quare haud recte sentiret qui ex praesenti Communicatione deducere vellet Ecclesiam millenariam suam traditionem de usu tubulati organi reliquisse ut novissima electrophonicorum instrumentorum inventa amptecteretur.

Etenim in praesenti documento S. Congregatio Rituum, dum confirmat « antiquum tubulatum musicum organum omnibus partibus praeferendum esse utpote liturgicis necessitatibus magis congruens », simul affirmat: «..... electrophonica instrumenta..... omnino pneumaticis organis cedunt ». Insuper eadem S. Congregatio agnoscit « huiusmodi organum (electrophonicum), ut alterum tubulatum digne substituat, perficiendum et perpoliendum esse ».

Hinc, sub respectu principiorum, novissima Communicatio pontificia pluries saeculari traditioni ecclesiasticae firmiter adhaeret.

4. Attamen S. Sedes praesenti Communicatione « electrophonicorum organorum usum non prohibet » absolute, sed rem ad Ordinarios remittit, additis tamen quibusdam clausulis, de quibus infra.

a) Atque in primis, tunc tantum quaestio fieri potest de alicuius instrumenti electrophonici introductione in ecclesiam, « cum facile non contingit tubulatum organum comparare ».

Ubi enim necessaria media suppetunt, tubulatum musicum organum omnibus partibus praeferendum esse scimus ex ipsa praesenti S. R. C. Communicatione. Revera nunc temporis haud difficile erit tubulatum organum — et quidem liturgicis necessitatibus optime congruens — parvo pretio, imo aliquando inferiori, emere quam quod ad electrophonicum organum comparandum requiritur.

b) Necesse est ut Societates musicis instrumentis struendis, quae electrophonica organa excogitarunt, eadem ita perficiant perpoliantque ut alterum tabulatum organum digne substituant. Etenim electrophonica instrumenta, quae nunc temporis venalia prostant, non paucos continent defectus sub aspecto acustico, technico et aesthetico [8]. Hoc enim prae oculis huiusmodi Societates habere debent, ut organum electrophonicum « gravem stylum redoleat eumdemque comparem et omnino similem vocis organi propriae », ut scite praescripserat Pius X [9]. Munus itaque erit Dioecesanorum Consiliorum musicae sacrae fovendae immutationes suggerere, quibus praedictus finis consequi possit. « Quod ut agant Societates » S. Sedes « vehementer hortatur »; nisi velint ut Ordinarii electrophonica instrumenta ab ecclesiis excludant.

Florentius Romita

---

[8] Cfr. AA supra citatos.
[9] *Motu Proprio* cit. n. 20.

JURISPRUDENTIA TRIBUNALIUM ECCLESIASTICORUM

TRIBUNAL METROPOLITANUM NEO-EBORACENSE
SENTENTIA DEFINITIVA

diei 23 maji 1947 coram *Mc Cormick*

in Causa Null. Matr. N. N. ex capite *impotentiae viri.*

SUMMARIUM:

Post ambitum amatorium annorum fere duorum sponsalibus factis N. N., Catholica, matrimonium contraxit cum N .N., Methodista baptizato, nunc vero agnostico ex professo, coram Rev.do Gulielmo Keneally et duobus testibus in domo paroeciali SS. Corporis Christi, Novi-Eboraci, die 28 Iunii, 1941. Ante matrimonium, inter sese colloquebantur de familia educanda. Illa voluntatem suam praebuit prolis procreandae et arbitrata est illum quoque prolem velle, sed ambo iudicaverunt esse non posse liberos statim habere propter rem pecuniariam. Pater Keneally viro doctrinam Catholicam de prole exposuit, qui plenum suum consensum dedit conformem Ecclesiae doctrinae. Matrimonium consummatum est, sed nulla proles nata est, neque mulier umquam foecundata est ex actibus coniugalibus. Viro postea in militiam vocato, coacti sunt domum relinquere. Postquam ille dimissionem ob adversam valetudinem ab exercitu recepit, difficultates de rebus pecuniariis ortae sunt; denique ille ab ea divortium petiit. Vir tunc uxori patefecit se quattuordecim diebus ante matrimonium operationem chirurgicam passum fuisse eo consilio ut se redderet incapacem prolis procreandae.

Uxor deinde Tribunali Archidioeceseos Novi-Eboraci die 29 Maii, 1944, petitionem exhibuit qua rogavit ut matrimonium suum cum C. M. invalidum declararetur ob sequentia:

1. Impedimentum impotentiae physicae ad matrimonium ex parte viri propter operationem chirurgicam, quae vocatur duplex vasectomia.

2. Intentionem ex parte viri contra bonum prolis.

Cum se declarasset competentem ratione fori contractus, Tribunal petitionem acceptavit. Deinde lis contestata est de capitibus supra dictis et causa ad iudicium progressa est. Tamen, actrix die 2 Augusti, 1945, spe et intentione reconciliatio-

nis cum convento efficiendae, petitionem subduxit. Tribunal decrevit instantiam renuntiatam esse die 6 Septembris, 1945. Propter circumstantias peculiares in hoc casu, Tribunal partes monuit ut antequam cohabitationem resumerent, conditiones quasdam implere deberent, nempe 1° ut vir malam intentionem explicite revocaret; 2° ut ipsemet operationem subiret ad effectus vasectomiae reparandos; 3° ut partes consensum praescripta forma canonica renovarent.

Dictae partes vitam coniugalem resumpserunt, consensum vero non renovaverunt forma canonica, renuitque vir operationem remedialem subire. Quoniam reconciliatio felix non fuit, mulier deinde novum libellum rettulit petens ut causa calendario reponeretur et procederetur sub capitibus originalibus. Tribunal hanc alteram petitionem acceptavit die 15 Martii 1946, et lis iterum contestata est die 29 Martii 1946. Actio causae continuata est et confecta.

Nos igitur infrascripti iudices nunc procedimus ad dubium solvendum tempore litis contestatae formulatum: « An constet de nullitate matrimonii ex capitibus: 1° impotentiae ex parte viri; 2° defectus consensus ex parte eiusdem ob exclusionem a consensu suo omnis iuris ad actum coniugalem prout ad prolem ordinatur.

Pars 1ª - Impotentia

in iure

Omnibus patet Deum virum et feminam creasse se invicem in ordine physico complentes; nam Sacrae Scripturae dicunt: « Et creavit Deus hominem ad imaginem suam... masculum et feminam creavit eos... et erunt duo in carne una » (*Gen.* 1. 27; 2. 24). Ecclesia igitur confirmat hoc legis naturalis principium dicens in Codice Iuris Canonici Matrimonium societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos (Can. 1082, § 1).

Actus, quo vir et mulier fiunt duo in carne una, vocatur copula carnalis. Huius actus essentia, secundum doctrinam communem canonistarum et iurisprudentiam diurnam Sacrae Rotae Romanae, est penetratio mulieris vaginae membro virili erecto, et in ipsam veri seminis emissio. Impotentia definitur a cano-

nistis tamquam incapacitas perficiendi modo naturali talem copulam carnalem. Distinguendum est inter impotentiam ad ipsum actum coitionis et impotentiam mere ad generationem, quoniam quidam possunt esse capaces coitionis, sed incapaces generationis propter sterilitatem, ut aliquando accidit in casibus virorum aetate provectorum. Sola impotentia ad copulam constituit impedimentum dirimens matrimonium. Codex Iuris Canonici decernit: talis « impotentia antecedens et perpetua, sive ex parte viri sive ex parte mulieris, sive alteri cognita sive non, sive absoluta vel relativa, matrimonium ipso naturae iure dirimit » (Can. 1068, § 1).

Medici requirunt ad potentiam tantum illud ex parte viri, vid., ut sit capax actus sexualis peragendi. Postulant ergo dumtaxat possessionem membri virilis capacitatemque eumdem erigendi atque introductionem ejusdem in mulieris vaginam. Non putant tamen seminationem intra vaginam esse de essentia, itaque eis non est cura de praesentia, absentia, vel conditione aliorum organorum genitalium quae praeparant conservantque eiaculatum masculinum (O' Malley and Walh, *Essays on Pastoral Medicine*, p. 327, p. 342, n. 16; Nowlan, *Double Vasectomy and Marital Impotence*, in « *Theological Studies*, Vol. VI (1945) p. 395; *S. R. R.* Dec. Vol. XIV, Dec. XXX, p. 281, n. 11). Medici ut corollarium logicum tenent, castratos, quorum uterque testiculus remotus est, adhuc capaces esse actus perfecti coitionis dummodo habeant potentiam erigendi membri virilis (O' Malley, p. cit., p. 432, n. 15). Haec autem doctrina directe opponitur Edicto Sixti PP. V, qui dixit eunuchos, sive tales sint natura sive operatione, utroque teste carentes, esse impotentes atque incapaces matrimonii contrahendi quia emittere non possunt verum semen in testibus elaboratum, licet emittere possint humorem forsan quemdam similem semini, sed hunc humorem minime esse aptum ad generationem (Bulla *Cum Frequenter*, die 27 Iunii, 1589, *Fontes* Vol. I, n. 298). Patet ex hoc edicto papali, et doctrina universali et communi theologorum et canonistarum, effusionem quoque veri seminis intra vaginam esse partem integralem et essentialem copulae (Cappello, *De Sacr.* Ed. III, Vol. III, n. 432; *S. R. R.* Dec. coram Wynen, die 25 Oct. 1945, n. 3 in *Periodica*, Vol. XXXV, Fasc. I-II (die 15 Iunii, 1946 p. 7). Ita dicit Cappello, « Quattuor requiruntur et sufficiunt ad conceptum copulae: 1) *Effusio seminis;* hinc non sufficit

penetratio absque seminatione, hoc enim esset potius tactus quidam impudicus sed non vera copula; 2) *Semen verum*, non autem humor quicumque prout haberi potest etiam ab eunuchis; 3) Semen effundi et recipi debet *modo naturali*, scilicet per erectionem membri virilis et penetrationem vaginae; excluditur proinde seminatio artificialis; 4) Semen effundendum est *in vagina mulieris*, quo exclusus manet onanismus » (loc. cit.).

Sequitur igitur eum, qui incapax sit verum semen eiaculandi modo naturali intra vaginam mulieris, esse impotentem sensu theologico et canonico.

Ab omnibus conceditur lege ecclesiastica haec sola requiri ex parte viri ad copulam perfectam: 1) *Membrum virile* (penis); 2) saltem *unus testiculus* capax verum semen formandi; 3) *erectibilitas membri virilis* (Cappello, loc. cit., et Wynen, loc. cit.). Haud dubium est quin vir membro virili vel utroque testiculo carens, vel cuius uterque testiculus omnino atrophicus est, vel cui non est potentia erigendi membrum virile, sit incapax copulae perfectae atque sit hac de causa impotens. Nostra opinione, ultra haec tria requisita anatomica est aliud requisitum essentiale, i. e., via aperta et non impedita per vas deferens ex testiculo in vesciculam seminalem. Hoc sequitur uti corallarium a primo elemento coitus supra dicto, scilicet, *effusio veri seminis*. Talis effusio externa veri seminis, elaborati in testiculo, fieri non potest nisi aperta et non impedita sit via inter testiculum et vesciculam seminalem. Si vas deferens penitus impeditum sit ita ut sanari nequeat vel sectum tali modo ut contributio testicularis ad effusionem non possit intrare vesciculas seminarias ut exterius emittatur, nostra opinione talis vir est impotens (Wernz, *Jus Decret.*, IV, p. 147, n. 345, nota 33; *S. R. R.* coram Wynen, loc. cit.).

Hoc quartum elementum anatomice requisitum maxime valet in casu praesenti in quo actrix asserit matrimonium invalidum esse praecise propter rei conventi impotentiam antecedentem et perpetuam ex interruptione et obstructione duorum canalium deferentium rei conventi per operationem chirurgicam, vulgo vocatam *duplicem vasectomiam*, quam subiit ante matrimonium. Operatio dicta vasectomia fit incisione in utroque latere scroti et seiungendo vas deferens utraque in parte ab aliis in scroto contentis. Vas ex utraque parte tunc

extrahitur per incisionem et ligatur per duas ligaturas distantes circiter unam unciam alia ab alia. Sectio intermedia vasis tunc resecatur (vel exsecatur) et removetur. Ideoque duo termini ligati manent inter sese separati spatio circiter dimidiae unciae. Generatim terminus distalis prope testiculum tunc inseritur in incisionem in fascia quae deinde supra suitur (Antonelli, *Medicina Pastoralis*, Vol. III, p. 453, n. 678; O' Maley, *The Ethics of Medical Homicide & Mutiliation*, p. 249). Ex insertione termini distalis in fascia, patet, chirurgum conari efficere permanenter obstructionem termini distalis ita ut nullum semen testiculare possit per accidens intrare vas termini proximi.

Deinde determinandum est utrum talis operatio impotentiam constituat. Quoniam vir, qui vasectomiam subiit, capax est, et erectionis membri virilis, et penetrationis in vaginam et ejaculationis humoris in ea, tota solutio dubii de potentia fundatur in hoc, vid., utrum materia effusa possit considerari verum semen elaboratum in testiculis, ut a Sixto V requiritur.

Opinio Prima: Est opinio propisita primum a Vermeersch, *De Castitate*, p. 75., n. 73, p. 79, n. 84, et nota 2, novissime vehementer a Nowlan (op. cit., p. 400) defensa, quae tenet: verum semen « non necessarie includit contributionem testicularem ad effusionem ». Hac opinione vir, qui duplicem vasectomiam passus est, impotens non est, quia glandulae endocrinae adhuc manent activae in testiculis post vasis resectionem, et hormones gonodales absumpti in sanguinem regulant activitatem et effusionem glandularum adjunctarum, videlicet prostatae, viscicularum seminalium et glandularum *a Gowper*, ex quibus maior pars effusionis provenit. Haec producta endocrina sustinent et regulant proprietates viriles somaticas et physicas secundarias. Propter hoc dicitur quod testibus per vasectomiam non nocetur, quoniam aliquid ipsi tribuunt effusioni per glandulas endocrinas; ideoque eiaculatum viri, qui duplicem vasectomiam passus est, adhuc satisfacit requisito Sixti V. de « Semine in testiculis elaborato », etiamsi nihil directe tribuatur ex testiculis in eiaculatum per vas deferens. Cappello opinatur talem virum esse impotentem, sed dicit opinionem Vermeersch praeteriri non posse propter argumentum intrinsecum (*De Matr.*, Ed. III, p. 417, n. 377). Nostro judicio, tamen, haec opinio caret

probatilitate tam intrinseca quam extrinseca ob rationes sequentes:

1) Non concordat cum mente Sixti V, qui evidenter voluit dicere verum semen esse humorem elaboratum in testiculis, quia dixit eunuchos emittere posse humorem tantum semini similem. Tamen materiae endocrinae in testium interstitiis generatae humorem non constituunt, sed potius sunt elementa quae in sanguinem absumuntur. Ideoque influunt tantum indirecte in humorem eiaculatum per prostatam et glandulas *a Cowper* et vesciculas seminarias. Ergo considerari non possunt qua liquor testicularis directe in ejaculatum tributus. Nos igitur tenemus materias testiculares endrocrinas in se non habere verum semen (*S. R. R.* Dec. Vol. XVI, Dec. V., pp. 45-46; n. 4).

2) Sixtus V non potuit significare suo dicto hormones gonodales quia pauca cognita erant de materiis endocrinis usque ad annos novissimos.

3) Canestri, in recenti Rotae Decisione, affirmat quod tantum humor a natura elaboratus in testiculis generationis causa potest constituere verum semen. Dicit ille, « Si unicus ille liquor, qui compositus est ad generationem et in testiculis elaboratus, prorsus deficiat aut profluere impediatur, alterque humor ad diversissimum alium finem compositus praesto sit, defectus in copula de se apta ad generationem substantialis est. Humor prostaticus a semine longe remotus est ». (*S. R. R.* Dec. Coram Canestri, die 31 Julii, 1944: *Ephemerides Iuris Canonici,* Vol. I, 1946, p. 204).

4) Insuper, Wynen dicit Sacram Romanam Rotam non potuisse considerare hanc novam doctrinam, ortam intra recentes viginti annos, tamquam probabilem, ideoque in suis sententiis non applicavit (*S. R. R.* Decisio coram Wynen, die 25 Aprilis, 1941: *Ephemerides Iuris Canonici.* I, 1945, p. 197 ss.).

Sunt aliae duae opiniones, quae tenent contributionem in liquidum eiaculatum a testiculo factam per vas deferens necessariam esse ut satisfiat requisito Sixti V: « verum semen formari debet in testiculis ». Hae tamen opiniones discordant respectu naturae contributionis in liquidum eiaculatum a testiculo factae.

Opinio Altera: Aliqui auctores, post auctam investigationem microscopicam de materiis contentis in eiaculato virili, tene-

bant solum elementum quod liquido ejaculato a testiculis tribuitur esse spermatozoa, quae sola verum semen formant quia elementum essentiale constituunt ad ovum femineum fecundandum et prolis generationem efficiendam. Ideoque, opinio haec tenet eiaculatum vivis et activis spermatozois carens non esse semen verum, atque viros, quorum eiaculatum sit tale, impotentes ad matrimonium contrahendum. Insuper, de quaestione vasectomiae, quae prohibet quin spermatozoa intrent vesciculas seminarias ut eiaculentur, huius opinionis fautores debent tenere eam constituere impotentiam. Haec opinio inspecta est in Decisione quadam Sacrae Romanae Rotae (coram *Cattani*) quae Alberti verba refert (*Sexto et Nono Decalogi Praecepto*, p. 3) tamquam eam confirmantem (*S. R. R. Decisiones*, Vol. V, Dec. III, p. 35-36, nn. 10-11). Nostro iudicio, haec opinio probabilitate tum extrinseca tum intrinseca caret ob rationes sequentes:

1) Sixtus V non potuit significare spermatozoa sola constituere verum semen quia id temporis materia in eiaculato contenta nondum per microscopium cognita erat.

2) Haec opinio opponitur iurisprudentiae Rotae per multos annos communi, quae tenet spermatozoa non esse necessaria ad verum semen (*S. R. R. Decisiones* Vol. XIV, 1922, Dec. CXX, p. 281, nn. 11-12; Vol. XV, 1923, Dec., XII, p. 104, n. 4 et 6; Vol. XVI, 1924, Dec. XXIX p. 260, n. 6; Vol. XXII, 1930, Dec. LXII, p. 678, n. 4). Wynen in decisione diei 25 Octobris, 1945 (*Periodica*, loc. cit. n. 4) explicite hanc opinionem reiicit, dicens eam numquam fuisse communem apud auctores vel iurisprudentiam Rotae.

Opinio Tertia: Wynen, in sententia diei 25 Aprilis, 1941 (*Ephemerides Iuris Canonici*, loc. cit.) observat « non posse proclamari uti scientifice certum quod testiculi non elaborant ullum liquidum, sed tantum nemaspermata, atque haec sola constituere verum semen ». Insuper, in Sententia diei 25 Octobris, 1945, dicit testiculos elaborare parvam quantitatem alicuius liquidi quo nemaspermata moveri possunt, id quod confirmat O' Malley, qui admittit duas vel tres guttas fluidi lubricantis in testiculis factas esse (*The Ethics of Medical Homicide and Mutilation*, p. 258). Wynen hoc notat, quod testiculus componitur duabus partibus, didymo et epididymo, qui inter se eodem scroto adhaerent, uterque epididymus cum suo didymo, et una simul unam glandulam constuunt. Wynen dicit quod, quamquam didymus elaborat sola spermatozoa, tamen epididymus

addit primam partem humoris, tenetque ille hunc humorem debere etiam considerari qua semen in testiculis elaboratum. Nobis persuasum est hanc opinionem WYNEN esse veram ob rationes sequentes:

Haec opinio optime concordat cum mente Sixti V, qui mentionem fecit de eunuchis emittentibus humorem similem semini; dat optimam rationem secundum sensum communem ex datis biologicis de contributione testiculi in eiaculatum modo normali; dat rationem maxime logicam de distinctione inter impotentiam et sterilitatem de qua in Can. 1068, et de eo quod viris aetate provectis permittendum est ut matrimonium contrahant etiam si sint steriles, quia testiculi eorum tribuunt humorem aliquem directe per vas deferens in materiam eiaculatam; concordat cum communi iurisprudentia Rotae per annos, quae postulat semen in testiculis elaboratum, non autem spermatozoa continentem (*S. R. R.* Dec. Vol. XIV, 1922, Dec. XXX., p. 281, nn. 11-12, Vol. XV, 1923, Dec. XII, p. 104, n. 4 et 6; Vol. XVI, 1924, Dec. XXIX, p. 260, n. 6; Vol. XXII, 1930, Dec. LXII, p. 678, n. 4).

His principiis viro applicatis cujus viae deferentes resecatae sunt, nos tenemus eum esse impotentem sensu canonico quia eiaculatum suum non continet ullam contributionem testicularem per vas deferens ductam, et propterea eiaculatum suum non esse verum semen. Insuper, est opinio communis auctorum virum post vasectomiam esse impotentem (WERNZ, *Ius Decret.* IV, p. 147, n. 345, nota 33; WERNZ-VIDAL, V, *Ius Matr.* p. 269, n. 23; CAPPELLO, *De Sacr.* (Ed. III), Vol. III, p. 417, n. 377; CHELODI, *Jus Matr.* p. 68, n. 70, nota 2; DE SMET, *De Spons. et Matr.* Vol. II, p. 67, n. 550, nota 1; GASPARRI, *De Matr.* (Ed. 1932), Vol. I, Append. 470; GOUGNARD, *De Matr.*, p. 380; VLAMING, *Praelectiones Iuris Matrimonii*, I, p. 241, n. 268, bis; PAYEN, *De Matr.*, I. p. 691, n. 988; TANQUEREY, *Theol. Moralis*, Vol. III, Suppl. p. 3, n. 5 et al.).

Nulla causa apud Rotam acta ex capite vasectomiae duplicis publicata est in voluminibus a nobis receptis, sed vasectomia nominatur passim in causa quadam, in qua habetur tamquam impotentiam constituens (*S.R.R. Decisiones.* Vol. XV, Dec. XII, coram *Massimi*, p. 194 n. 4). Rota tamen persistenter tenuit antecedentem et irremediabilem obstructionem utriusque vasis deferentis, e. g., propter infectionem venereum, impoten-

tiam constituere (*S. R. R. Decisiones*, vol. XV, Dec. XII, p. 104, nn. 4-13; Vol. XVI, Dec. V; p. 43, n. 2, et Dec. XV, pp. 114 et 117, nn. 2 et 3-4, et Dec. XXIX, p. 259, n. 2; Vol. XVII, Dec. XVII, p. 125 n. 2; vol. XVIII, Dec. VIII, p. 59, n. 2; Vol. XIX, Dec. XLIII, p. 364, n. 2; Vol. XXIII, Dec. XVII, p. 133, n. 3). Judices Rotae, in causa quadam diiudicata anno 1945, decertabant pro impotentia talibus in causis ita: « Cur requiritur quod omnes concedunt, vir testiculos habere ut sit potens, si simul dicitur status potentiae non mutari eo quod testiculi irreparabiliter separantur a canale quod semen, tam absolute essentiale ad generationem, perducit ad penim? » (Decisio coram *Wynen*, die 25 Oct. 1945, *Periodica* loc. cit.). Ergo logice concluditur quod Rotae Iurisprudentia statuet pro impotentia viri, qui passus est vasectomiam duplicem, dummodo operatio matrimonium antecesserit et conditio sit irremediabilis.

Deinde determinandum est utrum impotentia viri ex vasectomia sit perpetua, i. e., irreparabilis. Impotentia quae removeri non potest modo legitimo, vel sine gravi periculo vitae, considerari debet perpetua (*S.R.R. Decisiones*, Vol. XXIII, Dec. XVII, p. 133, n. 3; Dec. XXXVI, p. 306, n 3). Duae sunt operationes chirurgicae ad continuitatem reparandam vasis deferentis secti. *Altera* appellatur anastomosis vasoepididymalis, quae consistit in apertura facienda in latere partis proximae sectae vasis deferentis, i. e., termini secti corpori proximi. Testiculi epididymus tunc huic aperturae adsuitur. *Altera* operatio vocatur « terminus ad terminum » vel « lumen ad lumen » anastomosis. Haec est mere conatus ad iungendos terminos tali modo ut continuitas canalis intra vas deferens reficiatur ac iter apertum rursus habeatur inter testiculum et vesciculam seminariam. Auctores non concordant circa practicabilitatem felicitatemque talium operationum. O' Malley, has operationes cum plurimis minutiis explicans, dicit restaurationem functionis esse fere semper possibilem (*The Ethics of Medical Homicide and Mutilation* p. 250). Plures auctores tamen tenent tales operationes esse dubiae felicitatis quia lumen vel apertura canalis est tam parvum. Transversum totius secti vasis deferentis varie describitur: 1/10 unciae, vel ab 1 ad 1½ mm. (id. per totam latitudinem) et lumen vel apertura, tantum 1/3 totius latitudinis, itaque, vix 1½ mm. in transverso. Descriptive, apertura approximat magnitudinem parvi praphiti « lapis ». Sequentes auc-

tores tenent probabilitatem canalis restituendi uno vel altero modo esse minimam: Antonelli, *Medicina Pastoralis*, II, p. 461, n. 678; Vermeersch, *De Castitate* p. 42 n. 52; Chelodi, *Ius Matrimoniale*, p. 68, n. 70; nota 2; Wernz-Vidal, *Ius Matrimoniale*, V, p. 69, nota 2. Pater Ioannes J. Clifford, S. J., hac quaestione diligentissime perspecta, ita concludit: «Tota series casuum relatorum et de epididymo-vasectomia et de reversione vasectomiae tam parva est ut numeri per centum felicis eventus non possint multum valere (*Reoperation after Double Vasectomy, Theological Studies*, Vol. II, (Sept. 1946). p. 463).

Aliqui auctores tenent has operationes esse extraordinarias et illegitimas propter naturam eventus dubiam et propter id quod felicitas legitime probari non potest. Hinc hi auctores tenent impotentiam esse perpetuam (Antonelli, loc. cit; Wernz-Vidal, loc. cit; De Smet, loc. cit.). Tamen in praxi iudices debebunt determinare probabilitatem reparationis felicis et periculum vitae ab opinionibus chirurgi, qui vasectomiam perfecit, et peritorum Tribunalis.

Ultimo loco determinandum est utrum vir, qui vasectomiam passus est et matrimonium iniit paulo post operationem, fuerit ad matrimonium potens si remansisset in vesciculis seminariis reservatum semen in testiculis ante vasectomiam biliteralem elaboratum. Nemo ex auctoribus neque ulla decisio Rotae evulgata quae adest, agit explicite de hac re. Aliqui tamen loquentes de simili casu viri novissime castrati tenent talem esse capacem eiaculandi verum semen in prima copula habita post castrationem in eo factam post pubertatem, et posse deinde verum semen eiaculare donec vesciculae seminales evacuantur (Cappello, *De Sacr.* III (Ed. 1923), p. 397, n. 348; Vermeersch, *De Castitate* p. 79, n. 84; De Smet, *De Spons, et Matr.* Vol. II, p. 67, n. 550, nota 1). Ideoque talis vir castratus posset esse capax mulieris fecundandae (O' Malley e Walsh, *Essays in Pastoral Medicine*, p. 342, n. 13). Videretur vir qui vasectomiam bilateralem passus est, esse similis, si semen residuum in vesciculis seminalibus esset. Itaque debere tamquam potens haberi. Hic tamen de facto agitur. Principium generale est quod vir, cuius impotentia semel demonstrata est, debet abhinc se probare potentem (Chelodi, *Ius Matr.* p. 86, n. 70, nota 2; *Decis. S.R.R.* coram *Wynen* die 25 Oct., 1944, *Periodica* loc. cit p. 18, n. 14.). Hoc principium sequitur axioma generale legis, facta

non esse praesumenda sed probanda. Hinc, in quantum agitur de actione iudiciali, *si semel Tribunal virum determinantum iudicaverit redditum esse impotentem per vasectomiam, praesumendus est impotens a momento operationis.* Insuper, nullum est medium legitimum probandi eum post operationem adhuc habere semen residuum in testiculis elaboratum tempore matrimonii primo consummati, praeter evidentiam incontestabilem eum feminam fecundasse. Praeterea, Tribunal talem casum iudicans certe iustificatur in praesumendo, ubi vir deliberate curavit vasectomiam duplicem in se ante matrimonium faciendam eo consilio ut prolem vitaret, eum matrimonium non consummasse donec se persuasum haberet fore nullam possibilitatem conceptionis causandae et hac de causa non consummasse donec vesciculae seminariae plene evacuatae essent qualiscumque veri seminis.

In casibus impotentiae, Codex Iuris Canonici requirit medicos qualificatos uti *peritos,* qui partem dictam impotentem examinent et testentur de rebus compertis et opinionibus in casu. Tribunal non obstringitur talium opiniones acceptare, sed, si reiiciuntur, Tribunal debet rationes adducere. Iure etiam requiritur in casibus impotentiae ut attestationes *testium septimae manus* obtineantur (Can. 1792, 1975, 1976, 1979).

SPECIES FACTI

Clare probatur per attestationes duarum partium et medicorum qui reum conventum examinaverunt, hic membrum virile habere quod usuale videtur cum duobus testiculis. Attestationes duarum partium etiam demonstrant clare eum esse capacem penetrandi, immo et reapse penetrasse vaginam actricis membro virili erecto in copula carnali. Hinc controversia de impotentia respicit unice incapacitatem asseveratam eiaculandi intra vaginam actricis semen in testibus elaboratum propter operationem vasectomiae duplicis. Hanc quaestionem solvens, Tribunal determinare debet: 1) utrum haec operatio antecesserit matrimonium 2) utrum eum reddiderit incapacem eiaculandi semen in testiculis elaboratum 3) his probatis, utrum haec sit conditio permanens et irremediabilis.

Rei conventi attestatio, et registrum nosocomiae de hac operatione apud Sinai Hospital in urbe Baltimore, Maryland,

et attestio Doctoris Benjamin S. Abeshouse clare confirmaverunt Doctorem Abeshouse perfecisse operationem vocatam vasectomiam duplicem vel bilateralem in reum conventum die 7 Iunii 1941

Ad determinandum utrum haec operatio vere reddiderit reum conventum incapacem eiaculandi semen in testiculis elaboratum, necesse est primum determinare praecise quid factum sit in hac operatione. Doctor Abeshouse attestavit: « operatio erat vasectomia bilateralis sub anesthesia locali... Incisio pellis facta est et vas deferens expositum est circiter unam unciam. Semi-uncia vasis deferentis remota est atque uterque terminus cum *minugia* ligatus. Terminus distalis depressus est et coopertus strato fasciae, tali modo ut stratum fasciae interpositum sit duos terminos sectos, et pellis clausa est subcuticulariter.. Idem factum est in altero latere... Ligationis permanentia certa est eo quod fascia interponitur inter duos terminos sectos ut detur nulla possibilitas duorum terminorum iungendorum nisi hoc factum sit chirurgice, exponendo ambos terminos et eos consuendo ».

Quoad locum praecisum incisionis externae, Doctor Abeshouse attestavit: « In positione superiore utriusque aspectus lateralis utriusque scroti ». Sectio utriusque vasis deferentis remoti locum habet, secundum Doctorem Abeshouse, « circiter octo cm. a iunctura cum epididymo ». Probatio valida et corroborativa, Doctorem Abeshouse reapse removisse sectionem utriusque vasis deferentis, invenitur in relatione Doctoris Tobiae Weinberg, qui fecit examen pathologicum miscriscopicum partium ex reo convento a Doctore Abeshouse remotarum die 7 Iunii, 1941. Doctor Weinberg dixit duo specimina sibi ad examinandum missa vere esse partes vasis deferentis quas ipse cognovit qua « vas normale » exhibentes nullam histopathologiam. Amplius confirmant reum conventum subiisse operationem vasectomiae bilateralis relationes de examine physico facto in reum conventum a Doctoribus Thoma F. Howley et Arthuro J. Murphy, peritis huius Tribunalis, item eorum attestiones subsequentes. Doctor Howley dicit in relatione sua: « magna cum difficultate cicatrix longa, tenuis, irregularis, pallida, in longitudine 3/4 unciae visa est in cutis superficie laterali scroti sinistri; prope portionem lateralem scroti dextri pallida cicatrix semi-unciae ½ visa est. Infra circulum exter-

num (inguinalem) in utroque latere, vasia deferentia palpata sunt, sed, deorsum circa unam unciam, et vasa et caro circum eo pinguescebant, neque longius palpari potuerunt. Frustra conatus sum vas palpare in regione distali scroti, i. e., in regione prope testicula ». Doctor Murphy dicit: « Examinatio revelavit duas cicatrices in scroto sine dubio ex vasectomia bilaterali provenientes. In utroque latere vas est atrophicum palpationi... Putavi ea esse atrophica. Non potui ea palpare tam distincte quam putavi me debere ».

Ex evidentia hac, sequentia clare confirmata sunt: 1) reum conventum vere subiisse operationem ante matrimonium qua canales deferentes inde a testiculis ad seminales vesciculas secti sunt: 2) sectionem semi-unciae vasis deferentis remotam esse et terminos sectos ligatos esse « minugia » (felis intestino); 3) terminum testiculis proximum depressum esse in fascia. Patet quoque ex ipsa natura operationis, ex desiderio rei conventi ut per hanc operationem prolem vitaret, necnon ex intentione affirmata Doctoris Abeshouse ut perficeret voluntatem rei conventi, causam finalem huius operationis fuisse interrumpere canales deferentes tali modo ut nullus humor in testiculis elaboratus, sive spermatozoa continens sive non, canalem (lumen) termini proximi, i. e., corpori proximi, intrare posset, ne ita perveniret ad vesciculas seminales, a quibus tandem eiacularetur.

Pariter nobis patet illum finem revera adeptum esse quia Doctor Abeshouse dixit vasectomiam ab eo in reo convento factam *feliciter evenisse*. Ita credit quia die 1 Iulii, 1941 specimina de liquido a reo convento eiaculato inspexit, i. e., quattuor diebus tantum post matrimonium contractum, iterum die 18 Martii, 1944; nulla prorsus spematozoa utraque occasione aderant. Reus conventus haec propriis attestationibus confirmat. Doctor Howley, huius Tribunalis peritus, Doctori Abeshouse plene credit felicitatem proclamanti, praesertim cum die 1 Iulii 1941 Doctor Abeshouse, eiaculato examinando sibi probare conaretur de exitu bono operationis, idcirco sine dubio rogasset ut reus conventus rediret ad aliud examen si in eiaculato spermatozoa viabilia inventa essent, quod non fecit.

Nostro igitur iudicio a momento operationis perfectae reus conventus impotens erat quia non poterat eiaculare semen vel liquidum in testiculis elaboratum, quae est pars essentialis co-

pulae coniugalis (*S.R.R. Decisiones*, Vol. XXII, Dec. XVII, p. 133, n. 4).

Deinde quaerendum est utrum reus conventus sit impotens permanenter, quae quaestio pendet ab alia, vid., utrum praesens conditio reparari possit an non. Omnes testificantes medici consentiunt solum remedium possibile fore operationem chirurgicam ad terminos secti vasis deferentis rursus iungendos. Doctor Abeshouse dixit sterilizationem rei conventi sine tali operatione fore « absolute permanentem atque effectivam ». Et auctores et medici in casu indicant esse tantum duas operationes remedii, altera quae vocatur « terminus ad terminum anastomosis » altera « vaso-epididymalis anastomosis ». Doctor Abeshouse, qui operationem in reo convento perfecit, asseverat fore ut ipse potuerit reparare continuitatem canalis in vase deferente iungendis terminis sectis per anastomosim « terminus ad terminum ». Loquebatur quoque de operatione vocata vasoepididymali anastomosi quae consistit in iungendo termino vasis corpori proximi cum epididymo testiculorum. Mera asseveratio Doctoris Abeshouse de sua peritia talis operationis feliciter faciendae non sufficit ut hoc Tribunal concludere possit impotentiam rei conventi non esse permanentem. Clare probandum est talem operationem reparationis non mere *possibilitatem* secum ferre sed potius felicitatis validam *probabilitatem*. Doctor Abeshouse confidit se feliciter reparaturum rei conventi conditionem per anastomosim « terminus ad terminum » in primis quia duas tales operationes iam fecit. Una sola tamen, uti confitetur, feliciter foramen canalis reparavit. Evidens est peritiam Doctoris Abeshouse in reparando exiguam esse, neque dat 59/100 verae probabilitatis de felicitate in operationibus similibus. Nullum argumentum autem trahi potest, ut Doctor Abeshouse conatur, de exitu bono habito a medicis et chirurgis de his rebus scribentibus. Huius argumenti debilitatem clare monstrat Pater Clifford, S. J., plurimis chirurgis hac de re peritis consultis, « tota series casuum de epididymo-vasectomia et reparatione vasectomiae tam exigua est ut felicitas per centum non possit multum significare » *Re-Operation after Double Vasectomy, Theological Studies*. Vol. II (Sept., 1946), p. 463. Hinc, generatim eventus felix talis alicuius operationis incertus est.

Quod attinet peritos Tribunalis, Doctor Murphy in dubium

vocat ipsam reparationis possibilitatem, dicens esse in auctoribus a se lectis tres casus descriptos felicis anastomosis terminus ad terminum. Consentit cum Doctore Abeshouse de possibilitate reparationis vasectomiae bilateralis, sed dixit: « non nimis exspectarem eventum felicem ». Doctor Howley, alter peritus, dicit dari parvam probabilitatem eventus felicis unius vel alterius operationis in casu rei conventi. Eius verba: « Opinor eius conditionem non esse remediabilem, atque mecum consentiunt collegae in urologia speciatim versati, qui multas vasectomias perfecerunt necnon aliquas reparationes conati sunt ». Rogatus utrum haberet numerum felicitatis pro rata in vasectomiis reparandis, respondit Doctor Howley, « Tales numeri non habentur, sed numeri in aliquibus libris de urologia indicant 25 reparationes felices per centum, sed hoc neque creditur neque acceptum est ab illis urologiam speciatim tractantibus, quamquam ipsi autores sunt urologistae... Putant eum qui reparaverit feliciter egisse praeter exspectationem ». Patet igitur ex attestantionibus peritorum Tribunalis numerus felicitatis per centum ut a Doctore Abeshouse et aliquibus auctoribus proponitur, multum deficere in probabilitate de eventu felici indicanda.

Doctor Howley plene ac diligenter rationes protulit monstrantes fore improbabilius functionem alterutrius vasis deferentis rei conventi raperari posse per unam vel alteram operationem supradictam. Doctor Howley dicit: « conatus (reparationis) per operationem vocatam vasoepididymalem anastomosim felix non esset; etiam eam conari haud prudens vel utile esset quia termini proximi vasis deferentis sunt prope circulos externos inguinales, et testiculi cum epididymis tolli deberent ut essent illis terminis vicini. Hic esset locus impracticabilis, periculosus, cum scientia male concordans, in quo testiculi relinquerentur, si accideret ut ibi de facto manerent post operationem. Impossibile est dicere quo angulo relinquendi essent testiculus et epididymus in scroto ut iungi posset terminus proximalis vasis deferentis cum capite epididymi (locus generatim electus in tali anastomosi)... et tensio in sutura approximationis attentatae esset magna... Testiculus enim locatus vel relictus infra circulum inguinalem externum est iniuriae maxime obnoxius; experitus trauma vitae quotidianae, et post eum esset os publicum... Fierent dolor, tumor, nimia sensitivitas, maiores

quo maius trauma, sed trauma iteratum etiam efficeret inflammationem intra testiculum ut atrophia fieret probabilis ».

De reparatione possibili vasis deferentis rei conventi per anastomosim « terminus ad terminum », Doctor Howley dicit: « probabilitas efficiendi lumen quod esset permanenter utile ad vas deferens reparatum, per terminum ad terminum anastomosim, minima est etiamsi chirurgus recentissimis artibus utatur... Probabiltitas minima est - valet fere nihil... Quoad memini, neque audivi neque legi de anastomosi felici per operationem «terminus ad terminum ». Unanimiter concludunt collagae mei, qui in urologia hic in Statibus Foederatis orientalibus versantur qui et in scholis medicorum docent, probalilitatem felicitatis in tali operatione esse minimam, et chirurgum talem felicitatem habentem debere putare se ultra modum bene fecisse ». Doctor Howley dubitat de observatione Doctoris Abeshouse se unam talem operationem feliciter perfecisse, dicens « Casus ille valde est describendus, ac iterum dico describendus praesertim Doctori Abeshouse, tam copioso scriptori. Doctor Robertus S. Hotchkiss Neo-Eboracensis, notissimus in his rebus, non memit se vidisse talem casum a Doctore Abeshouse descriptum ».

Clarissime patet igitur ex testimoniis Doctorum Murphy et Howley dari minimam probabilitatem felicitatis in operatione pro reparatione in reo convento perficienda. Hi duo sunt Tribunalis periti neque rationem habemus cur eorum conclusiones in casu reiciendae sint ob dubias asseverationes de reparatione felici ab aliquibus auctoribus et Doctore Abeshouse ipso factas.

Patet ex attestationibus medicorum nullum fore grave periculum vitae in alterutra operatione remediali. Itaque iudicamus has operationes fore hac ratione legitimas.

Nostro iudicio autem reus conventus permanenter impotens ultra remedium est quia: 1) minima est probabilitas felicitatis in operatione remediali; 2) non datur modus legitimus et moralis probandae felicitatis in operatione remediali attentata, praeter fecundationem mulieris a reo convento factam. Insuper, practice, conatus talis operationis nunc esset impossibilis ut ita probaretur potentia, quia reus conventus renuit talem operationem subire ut conditio reconciliationis, atque uxor, Actrix in causa, iam declarationem nullittatis petiit.

Denique determinandum est utrum reus conventus sit considerandus tamquam potens tempore matrimonii eo quod vasectomia perfecta est die 7 Iunii, 1911; quapropter adhuc potuit habere verum semen residuum in vesciculis seminalibus tempore matrimonii contracti die 28 Iunii, 1911. Duarum partium altera alteri contradicit de tempore matrimonii primo consummati. Actrix enim dicit matrimonium consummatum intra horas viginti quattuor, reus conventus vero dicit matrimonium esse consummatum priusquam Doctor Abeshouse specimen eiaculati examinavit die 1 Iulii, 1911 et renuntiavit id nulla spermatozoa continere. Haec discrepantia autem non est directe ad rem. Quod potuit verum semen effundere in vesciculis seminalibus retentum in prima copula maritali, mere fingitur. Itaque secundum principia generalia, facta probata valere, reus conventus praesumendus est permanenter impotens atque incapax veri seminis effundendi a momento vasectomiae peractae donec contrarium probatur (Chelodi, *Ius Matr.* p. 86, n. 70, nota 2; Rotal. Decis, coram *Wynen,* die 25 Octo., 1944, *Periodica,* loc. cit., p. 18, n. 14; *Payen, De Matr.*, I., p. 721, casus 122). Insuper non potest probari reum conventum residuum semen habere iam tempore matrimonii. Denique iustificatur Tribunal faciens aliam praesumptionem reum conventum, qui hanc operationem faciendam curavit ut prolem vitaret, numquam matrimonium consummasset si putasset aliquod semen residuum in corpore suo adesse.

Tribunal testes *septimae manus* in casu non arcessivit quia allegatio de impotentia fundata est in operatione facta ante matrimonium vocata duplici vasectomia, et talis impotentia clare probata est. Insuper, utraque pars admisit copulam post matrimonium habitam fuisse sine difficultate in actu paragendo. Hinc testimonium *septimae manus* testium in hoc nihil valeret (Can. 1975, § 1).

Tandem est judicium nostrum hoc matrimonium fuisse irritum et nullum ob impotentiam antecedentem et perpetuam rei conventi.

STUDIA

ET

CONSULTATIONES

DE PROBABILITATIS USU IN RE INDULGENTIARUM

SCRIPTORES. Ballerini-Palmieri, *Opus Theologicum morale* (Prati 1900). Laymann, *Theologia Moralis* (Venetiis 1719). - Diana, *Concordatus seu Omnes Resolutiones morales* (Lugduni 1667). - Cappello, *De Sacramentis*, ed. V. - Vermeersch, *Theologia Moralis*, ed. altera. - Iorio, *Theologia Moralis*, ed. III. - Suarez, *De Indulgentiis*. - Sanchez, *In praecepta Decal.* - Gury, *Comp. Theologiae Moralis*, ed. Rom. - Wernz-Vidal, *Ius Canonicum* (Romae 1933). - Vermeersch-Creusen, *Epitome Iuris Canonici*, ed. VI. - Aertnys-Damen, *Theologia Moralis*, (Taurini 1939). - Coronata, *Institutiones Iuris Canonici*, (Taurini-Romae 1939).

Quaer. - *An in materia indulgentiarum admitti possit usus probabilitatis.*

Huiusmodi quaestio, quae ut vere salebrosa semper habita est, etiam nunc temporis auctores invenit hinc inde divisos: alii affirmant [1], quo in casu valet aeque can. 209 dispositum; alii [2], prout scribit cl. Vermeersch [3], tenent probabilem impletionem conditionis requisitae incertam linquere indulgentiae consecutionem; cl. Gury vero negat: « aliunde non valet usus probabilitatis in materia indulgentiarum, scribit praeclarus auctor, siquidem non probabilitas, sed veritas effectum producit » [4].

Nos vero arbitramur quaestionem, cuius nemo non videt momentum ac practicas et frequentes applicationes, praesertim quoad can. 209 praescriptum, non omnino adaequate ac perspicue positam esse.

Etenim: ad rectam quaestionis solutionem distinguendum est utrum dubium respiciat legem et facultates indulgentias concedentis, an potius versetur circa conditionum adimpletionem ex parte indulgentias lucrantis. Iamvero in primo casu affirmative respondendum censemus: indulgentiarum siquidem largitio unice pendet a voluntate Ecclesiae, quae proinde defectum supplere potest iuxta principium can. 209. Ita est, v. g., in dubio positivo an Praefectus

---

[1] Ballerini-Palmieri, op. cit., vol. V, n. 778. - Laymann, op. cit., lib. V., tract. VII, cap. I, pag. 304. - Diana, op. cit., tom. IV, tract. V, pag. 176. - Cappello, op. cit., vol. II, pag. 697. - Vermeersch, op. cit., vol. III, pag. 552, n. 648. - Iorio, op. cit., vol. III, n. 773.

[2] Suarez, op. cit., tom. XXII, Disp. 52, sect. 5, n. 1 ss. - Sanchez, op. cit. tom. II, lib. V, cap. V, pag. 39.

[3] Op. cit., ibidem.

[4] Op. cit., tom. II, pag. 540, n. 1054.

Apostolicus, dignitate episcopali carens, polleat facultate, de qua in can. 239 § 1, n. 5; si dubitetur an Episcopus canonicam possessionem valide adeptus sit et proinde indulgentias concedere valeat ad normam can. 349 § 2, n. 2; an tempus, v. g. triennium, ad quod facultas pietatis obiecta benedicendi indulgentiisque ditandi concedi solet, expiraverit etc.

In altero vero casu, cum nempe dubium versatur circa adimpletionem conditionum, quae certo requiruntur in lucrante, quando scilicet dubium coniungitur cum vero defectu adimpletionis cuiusdam ex conditionibus ad indulgentiam assequendam praeceptis, probabilitatis usus non videtur admittendus nec Ecclesia supplere dicenda est. Sane, si hoc in casu probabilitatis usus admitteretur, eo quod Ecclesia hos defectus suppleret, hoc esset favere fidelium negligentiae in adimplendis operibus, quae ad lucrandas indulgentias praescribuntur. Hinc etiam doctrina qua error, ignorantia, inadvertentia, bona fides non excusant.

Ceterum principium de iurisdictionis suppletione in dubio positivo et probabili in eo est, ut Ecclesia in bonum commune fidelium suppleat iurisdictionis defectum *in ministro*, in eo scilicet qui Ecclesiae potestatem exercet in fidelium favorem, sed nullo modo supplet defectus quoad conditiones seu dispositiones, quae in subiecto requiruntur.

Quaeritur ulterius: *An Ecclesia in materia indulgentiarum iurisdictionem suppleat in casu erroris communis.*

Unus tantum auctor, nisi nos fallit animus, quaestionem tangit, nempe cl. Iorio, qui, postquam breviter dixit de probabilitatis usu in re indulgentiarum et de iurisdictionis suppletione in casu, ita scribit: « Idem dicas, ex paritate rationis, de suppletione iuridictionis in ministro indulgentias largiente in errore communi » [5].

Ad hanc quaestionem quod attinet, in primis principia, quae sequuntur, sedulo attendenda sunt, videlicet: 1) Error communis, de quo in can. 209, talis dicitur, quatenus est *publicus* seu communis inter fideles et opponitur errori *privato*, scilicet alicuius solummodo personae.

2) Ecclesia nullo modo iurisdictionem supplet in errore privato sed in errore communi tantum; cum scilicet habetur ratio boni communis, seu attenditur in casu non singulorum sed communis fidelium utilitas. 3) Iam ut certa a theologis et canonistis recepta est doctrina, qua error communis, de quo in can. 209, adesse censetur non solum quando « omnes fideles moraliter sumpti *actu* errant suumque falsum iudicium proferunt sive verbis, sive scripto, sive facto, sive quovis alio modo », sed etiam quando errant *vir-*

[5] Op. cit., ibidem.

tute, licet non actu: seu cum « ex aliquo *facto externo et publico,* quod natura sua inducit in errorem, fideles necessario, attentis circumstantiis, in errorem inducuntur »[6]. Quod contingit, e. g., in casu quo Apostolica Sedes indulgentiam concedit ecclesiae *paroeciali* cuiusdam oppidi, sed aliquot post annos loci Ordinarius paroeciam transfert in aliam eiusdem oppidi ecclesiam, quin de hac translatione parochus nec alius quisquam certiores reddat fideles, qui proinde primam ecclesiam paroecialem visitare pergunt ad indulgentiam lucrandam, putantes eandem ecclesiam indulto apostolico adhuc gaudere.

Quibus principiis attentis, ita dicendum videtur: In concessione indulgentiarum raro quidem habentur conditiones ut Ecclesia iurisdictionem suppleat ad normam can. 209; verum si conditiones adsint, seu cum ratio boni communis fidelium reapse habetur, non apparet cur principium generale can. 209 non sit applicandum: agitur enim de exercitio verae et proprie dictae iurisdictionis.

Diximus *raro haberi conditiones:* inspecta enim subiecta materia et attento modo indulgentias elargiendi, prout de iure et de facto exercetur, certo certius non sunt heic applicanda, sic et simpliciter, quae de iurisdictionis suppletione in errore communi quoad paenitentiae Sacramentum traduntur; licet enim quaedam habeatur analogia, tamen, si res in se consideretur, quatenus scilicet non agitur de re tanti momenti, ut est Sacramenti paenitentiae administratio, sive etiam consideretur minister, qui indulgentias largitur et modus quo plures facultates hac de re exercentur, non tam facile ratio boni communis seu utilitatis communis fidelium adesse censetur, saepe saepius error erit solum privatus.

Seraphinus de Angelis
Substitutus S. Paenitentiariae.

---

[6] Cappello, op. cit., n. 340-43. - Wernz-Vidal, op. cit., vol. II, n. 381. - Iorio, op. cit., n. 507, 10. - Vermeersch-Creusen, op. cit., vol. I, n. 322. - Aertnys-Damen, op. cit., vol. II, n. 359. - Coronata, op. cit., vol. I, n. 292.

DE IURE PAROCHORUM QUOAD PRIMAM PUERORUM COMMUNIONEM

LEGES: Conc.-Trident. Sess. XXI, *de communione*, C. 4, Can. 4: Benedictus XIV ep. encycl. « *Etsi minime* » d. 7 febr. 1742; Const. *Etsi pastoralis* d. 26 maii 1742, 2 n. VII: *Rituale Romanum* tit. IV. C. I, *De Sanctissimo Eucharistiae Sacramento* n. 11: *S. C. De Sacramentis*, Decr. d. 8 aug. 1910, n. IV; S. C. E. E. R. R., *Scholarum Piarum* d. 14 Mart. 1908 (*Anal. eccl.* 1908, p. 142).

AUCTORES: F. Cappello, *Tractatus canonico moralis juxta codicem Iuris canonici* Romae 1938 I, 533.

Eiusdem, *de aetate admittendorum ad primam communionem seu commentarium ad decretum « Quam singulari »* Romae. 1911; Eiusdem, *Iudicium de aptitudine ad primam communionem* in *Periodica de re morali canonica et liturgica* t. XVI fasc. IV 1927, p. 133 ss.

A. Coronata, *De Sacramentis*, Romae 1943, I.

L. Ferraris, *Prompta Bibl.* sub V. *Communio.*

J. B. Ferreres, *Compendium theologiae moralis* ed. 3ª post. Codicem II, n. 423 ss.

Eiusdem, *La Communion frequente y diaria la primera communión.* Barcellona 1911.

P. Gasparri, *Tractatus canonicus de Eucharistia.* Parisiis 1897 II (n. 1168 ss.

C. Gennari, *Circa il diritto del parroco alla prima communione*, in *Monitore Eccles.* V. XXIII (1911) p. 128.

F. Gregori, *La prima communione ed i fanciulli*, in *Perfice Munus* 1926 n. 391 ss.

D. Jorio. *Il Decreto « Quam singulari » sull'età richiesta per la prima communione dell'8 agosto 1910.* Roma 1928.

A. Joung, *Communion* (cum bibliographia) in *Dict. de Droit. can.* col. 1127.

G. Lardone, *Parroco e prime communioni* in *Perfice Munus* 3 (1928) 229-31.

P. O. Neill, *Admission of children to first communion* in *the Irisch Record* 37 (1931) 75-76.

I. Theissen, *La première Communión des enfants* in *Nouv. Rev. Theol.* 57 (1930) 17-25; 143-157.

F. Xav. Vernz, *Jus Decretalium*, Romae, 1906, II¹ n. 830.

In statutis cuiusdam Dioeceseos prohibetur quominus prima puerorum Communio, sive sollemnis, sive privata, fiat in ecclesiis non paroecialibus. Reclamantibus autem religiosis rectoribus ecclesiarum non paroecialium necnon pluribus fidelibus, Curia Episcopalis respondit se hoc statuisse ne parochorum vigilantia, in hac re magni momenti pro cura spirituali puerorum, eluderetur.

Quaeritur: 1) Jus admittendi pueros ad primam Communionem sive sollennem sive privatam ex Codice Iuris canonici est ne reservatum parochis?

2) Prima Communio puerorum sive sollemnis sive privata po-

test ne reservari parochis ex consuetudine vel ex legibus dioecesanis aut provincialibus?

3) Non obstante contrario juris praescripto dioecesano, possunt ne in ecclesiis non paroecialibus admitti pueri ad primam Communionem saltem privatam?

Haud defuisse auctores qui, ante decretum « Quam singulari » d. 8 aug. 1910 [1] vel primam puerorum communionem saltem sollemnem inter functiones parocho reservatas recenserent, omnibus in comperto est. « At prima communio - ita v. g. clarmus Vernz - in forma sollemni legibus vel consuetudinibus provincialibus et dioecesanis in non paucis regionibus recensetur, inter functiones exclusive in ecclesia paroechiali peragendas, salvis tamen legitimis exceptionibus in communitatibus exemptis [2].

Ius praeterea exclusivum id genus probaturus Card. Gasparri [3] nitebatur litteris S. C. de P. F. d. 6 junii 1839 ad Archiepiscopum Smyrnensem quas auctor ille asserebat inveniri in collectanea S. C. de Prop. Fide n. 727.

Ex decreto vero *Quam singulari* non ad parochum sed « ad patrem aut ad illos qui eius vices gerunt et ad confessarium, secundum catechismum romanum, pertinet admittere puerum ad primam communinem » [4].

Quod statutum reperitur exspressum in codice Juris Canonici: « De sufficienti puerorum dispositione ad primam communionem iudicium esto sacerdoti a confessionibus eorumque parentibus aut iis qui loco parentum sunt [5].

Hoc citati canonis praescriptum applicandum est primae communioni puerorum sive privatae [6] sive sollemni, nedum quia nulla

[1] *A. A. S.* II p. 577 ss.

[2] *Ius Decretalium* n. 830.

[3] P. Gasparri. *De Eucharistia*. Parisis 1897, n. 1171. « Sacra Congregatio de Prop. Fide, in litteris ad Archiepiscopum Smyrnensem datis d. 6 Junii 1839, hoc privativum parochorum jus recognoscit; nam docet nec presbyteros missionis debere parvulos ad primam communionem admittere sine parochi licentia, nec parochos debere in hac concedenda licentia difficiles esse pro ipsorum parvulorum spirituali utilitate ».

Ut omittamus clarmum Cappello adnotavisse citatas litteras non inveniri in Collectanea S. C. de Prop. fide a 1907, advertimus jus id genus, si affuisset, non amplius sustineri post decretum *Quam Singulari* et post promulgatum Codicem Juris Canonici, Conf. Cappello, De altate admittendorum ad primam communionem vel commentarium in decretum « Quam Singulari » Romae 1911 p. 43.

[4] N. IV.

[5] Can. 854 § 4.

[6] Privata puerorum communio habetur, cum pueri sine ulla exteriore pompa a parentibus vel confessario, vel a parocho ad sacram sinaxim admittuntur: solemnis vero vel generalis habetur cum pueri, pompa exteriore adhibita, ad sacrum Eucharistiae Convivium plures simul admittuntur.

adest distinctio quam quidam Auctores insinuare autumabant, sed etiam quia ipsa non recensetur inter functiones exspresse et taxative parocho reservatas (can. 462). Quare, in commentario ad citatum decretum, nulla facta distictione inter privatam et sollemnem primam puerorum communionem, egregius Cappello haec adnotabat: « Parochus cogere nequit pueros ut ad ecclesiam paroechialem accedant die communionis generalis pro SS. Eucharistia; id inixe commendandum est, at pueri primum admissi ad sacram sinaxim cogi nequeunt. Parochus prohibere non potest quominus in aliis ecclesiis paroeciae suae, v. g. collegiorum seu institutorum, Communiones generales fiant pro pueris qui prima vice Sancta de altari libent » [7].

Unde nihil miri si Card. Gennari dixerit non licere parocho prohibere quominus in collegiis aliisve institutis, pueri sive singillatim sive una simul ad primam communionem admittantur [8].

3) Quamvis tamen explorati iuris sit primam puerorum Communionem sive sollemnem sive privatam non constituere ius parrochi exclusivum, Codex I. C. haec statuit: « parocho autem est officium advigilandi, etiam per examen, si opportunum prudenter iudicaverit, ne pueri ad sacram Sinaxim accedant ante adeptum usum rationis vel sine sufficienti dispositione » [9].

Quod canonis citati praescriptum interpretantes quidam Auctores censent vix componi officium id genus parochi cum iure et officio confessariorum et parentum.

Alii latius extendunt munus parochi, ita ut affirment ius admittendi pueros ad primam Communionem illi exclusive competere una cum iudicio de idoneitate admittendorum ad sacram Sinaxim.

Ita, inter alios, cl. Gregori asserebat judicium de aetate atque de aptitudine ad primam communionem uni competere parocho [10]. Quae omnia tamen, ut advertit clar.mus Cappello, gratis asseruntur seu absque fondamento [11]. Recte igitur clar.mus Iorio, tunc temporis S. C. de Sacramentis a Secretis, advertebat non licere parocho pueros, praesertim si in Religiosorum Institutis instituantur, indiscriminatim ad examen subeundum arcessere [12].

---

[7] Cappello in *Periodica* l. c. p. 45. Conf. etiam Ferreres, *Compendium theol. mor.* II, n. 423, ed. 3a post codicem; Eiusdem, *La communio frequente j diaria j la primera communio*, Barcelona 1911, n. 450.

[8] *Circa il diritto del parroco alla prima communione*, in *Monitore Eccles.* XXIII (1911) p. 128.

[9] Can. 854 § 5.

[10] *La prima communione dei fanciulli*, in *Perfice Munus*, 1926 p. 397.

[11] F. Cappello, *Iudicium de aptitudine ad primam communionem*, in *Periodica de re morali, can. et liturgica*, l. c. pag. 133 s.

[12] Iorio D., *Il decreto « Quam Singulari » sull'età richiesta per la prima communione, dell' 8 agosto 1910*, Roma 1928, p. 48.

Ex quibus patet ex officio id genus parocho a legislatore concredito erui quandam generalem inspectionem « quasi fori exterioris... observandi quinam pueri accedant vel communicare omittant. Tunc, si ex accedentibus quosdam imperitia suspectos habeat, illos etiam per examen probare potest... sed non possit parochus hoc canone 854 fretus primam puerorum communionem in paroecia condicioni praevii examinis subordinare » [13].

Igitur, si in casibus particularibus, dubium de dispositionibus admittendorum nullum exoriatur, parochus qui praevium examen exigeret, illegitime ageret [14]. Quacum interpretatione § 5 canonis 854 optime componitur eiusdem canonis § 4, qua, modo absoluto, confessario et parentibus admittendorum defertur iudicium de eorum dispositionibus [15].

Ad alterum quaesitum quod attinet, rem brevi expediam.

Distinguendum: si sermo sit de legibus dioecesanis ac provincialibus, attentis normis generalibus de vi legum id genus, censendum est illis non posse reservari porocho primam puerorum communionem, cum luculenter, ut supra adnotavimus, constet Legislatorem Supremum eam non recensuisse inter functiones parocho reservatas (can. 462). Si vero agatur de consuetudine, *quoad communionem sollemnem*, censendum consuetudine, dummodo haec qualitatibus sit praedita, de quibus in canone 27, fieri posse ut illa reservetur parocho, quippe prima communio puerorum, praesertim sollemnis, ad pietatem fovendam exacuendamque in singulorum admittendorum familiis contendat.

Quare legimus in citato decreto: « Semel aut pluries in anno curent parochi indicere atque habere communionem generalem, ad eamque non modo nevensiles admittere sed etiam alios qui parentum confessariique consensu... iam antea primitus de altari libarunt » (a. V).

Quod decreti statutum nexum habere cum universa animarum cura parocho gerenda neminem procul dubio latet.

Ad tertium: affirmative, ex dictis. E memoria vero ne excidat velim quod scripsit clarissimus Cappello: « In praxi tamen valde expedit ut parochus certior fiat de prima puerorum communione, si commode id fieri possit » [16].

Innocentius Parisella
a studiis S. C. Concilii.

---

[13] A. Vermeersch, *Theologia moralis*, III, 391.

[14] F. Cappello, *Iudicium de aptitudine ad primam eommunionem* in *Periodica*, l. c. p. 133.

[15] A. Coronata, *De Sacramentis*, Romae 1943, I, p. 292.

[16] *Periodica de re morali canonica et liturgica* l. c., p. 135.

DE FORMA CELEBRATIONIS MATRIMONII IUXTA CAN. 1098

Quaesitum est utrum ad valorem matrimonii celebrati coram solis testibus iuxta can. 1098, necesse sit ut contrahentes sciant vel intendant hac altera canonica forma uti, an sufficiat sola impossibilitas praesentiae parochi.

Dubium exortum est ob ferendum iudicium de civilibus nuptiis in Hispania initis tempore postremae subversionis vel in locis ubi res vi nefastae Russicae auctoritatis aguntur.

Omnes catholici sciunt formam canonicam ordinariam celebrandi matrimonii in eo esse ut contrahentes consensum praestent respondendo parocho loci interroganti coram duobus testibus [1]. Huic formae aliquando S. Sedes in particularibus adiunctis derogare potest atque derogat. Codex praeterea facultatem dispensandi a forma canonica concedit in mortis periculo etiam Ordinariis, parochis et aliis sacerdotibus, uti videre est in cann. 1043 et 1044. Attamen voluntas est Ecclesiae ut in singulis casibus serventur quae servare possunt et exceptio reducatur ad ea quae sive materialiter sive moraliter fieri nequeant.

At habentur etiam derogationes ex iure. Codex enim, quin opus sit S. Sedis interventu, concedit dispensationem a forma canonica, coartatam tamen ad parochi praesentiam, cum neque hic, neque Ordinarius, neque sacerdos ab alterutro delegatus haberi vel adiri possit, et hoc sive in mortis periculo, sive extra tale periculum (can. 1098). Agimus nunc de altero hoc casu et quaeritur: estne ad valorem actus quod contrahentes sciant posse uti hac altera forma et velint ita actum coram Ecclesia validum, idest matrimonii sacramentum, perficere?

Ad rectam responsionem dandam referenda atque explicanda sunt verba ipsius canonis iuxta verborum significationem (can. 18).

Canon 1098: Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus qui matrimonio assistant ad normam canonum 1095, 1096:

1°) In mortis periculo validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus; et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam;

---

[1] Quod hic dicimus de parocho loci, valet etiam pro Ordinario loci vel sacerdote ab alterutro rite delegato.

2°) In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos qui adesse possit, vocari et, una cum testibus matrimonio assistere debet, salva coniugii validitate coram solis testibus.

Evidenter agitur de dispensatione quam jus concedit a praesentia testis qualificati, idest Ordinarii vel parochi loci vel sacerdotis ab alterutro delegati, et quidem de praesentia physica, uti declaravit Pont. Comm. Cod. in responsione ad II die 10 martii 1928. Sed eadem Commissio die 25 julii 1931 (ad I) clarius edixit absentiam haberi posse etiam casu « quo parochus vel Ordinarius, licet materialiter praesens in loco, ob grave tamen incommodum celebrationi matrimonii assistere nequeat, requirens et excipiens contrahentium consensum ». Quod accidere potest ex. gr. si sit carcere detentus aut legibus civilibus poenam minitantibus impeditus.

Ex ipsis canonis verbis apparet ad celebrandum matrimonium coram solis testibus aliqua ad validitatem, aliqua ad liceitatem requiri.

Prima necessaria conditio est: si testis qualificatus *haberi vel adiri* nequeat. Dicitur *haberi* cum parochus non potest venire ab alio loco ad illum ubi contrahentes inveniuntur, vel in eodem loco degere. *Adiri* vero quando contrahentes nequeunt se conferre ubi parochus actu invenitur. Illud *vel* autem ob sequens verbum *nequeat*, valorem non habet disiunctivum sicut *aut... aut*, sed copulativum, id est sensum ponit *nec haberi nec adiri possit*, ita ut, si parochus haberi nequeat sed possit adiri, adeundum est, et similiter si adiri nequeat sed haberi possit, exceptio non admittitur.

Canon addit: *sine gravi incommodo*, quippe quod hoc solum excusare potest a lege communi servanda. Si ergo leve haberetur incommodum, exceptio in canone contenta admitti nequit.

Altera conditio ad validitatem est: « dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam ». Requiritur ideo, uti conditio sine qua non, prudens *praevisio* de duratione praefatae impossibilitatis saltem per alios triginta dies. Dicitur *prudenter* quia si ex inopinato parochus veniat vel adiri possit priusquam mensis transeat, non ideo matrimonium celebratum evadit nullum. Iuxta vero temporis supputationem mensis intelligendus est spatium triginta, non vero viginti novem dierum (can. 32 § 2).

His duobus conditionibus, quae requiruntur ad validitatem celebrationis matrimonii coram solis testibus, addenda est alia ad liceitatem tamen.

In paragrapho 2. canonis enim legimus: « In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos qui adesse possit, vocari et cum testibus matrimonio assistere *debet*, salva coniugii validitate coram solis

testibus ». Hoc ideo est etiam legis praescriptum quod, in quantum fieri potest, matrimonio assistat sacerdos una cum testibus, quamvis nec parochus nec Ordinarius sit, nec ab alterutro delegatus, et hoc sive in mortis periculo sive extra. Consulto hoc praecipitur: etenim sacerdos quae ad sacramenti matrimonii celebrationem sunt necessaria cognoscere debet atque animadvertere potest utrum in casu essentialia aliquo modo haberi possint, atque utrum aliae causae nullitatis excludi debeant. Ita ad normam can. 1044 potest ab impedimentis dispensare, si quae dispensabilia adsint, ac super ipsa forma matrimonii.

Praetereundum non est can. 1098 non excludere praescriptum can. 1019, qui ita sonat: « Antequam matrimonium celebretur constare debet nihil eius valide ac licite celebrationi obsistere ». Requiritur ergo diligens investigatio, per se a parocho peragenda, et in casu nostro a sacerdote adsistente, etiamsi summarie, dummodo serio facta ac favorabili exitu, nisi iam legitime peracta sit. Item ipse sacerdos vocatus curare *debet,* in solidum cum contrahentibus et testibus, ut matrimonium in libris paroecialibus describatur iuxta can. 1103 § 3. Magna ergo habetur utilitas ex sacerdotis cuiusvis adsistentia, deficiente teste qualificato.

Vel simplici canonis expositione iuxta verborum significationem nullum haberi potest dubium quod sola circumstantia absentiae parochi, etsi diuturna imo permanens, non sufficiat ad valorem matrimonii coram solis testibus et a fortiori civiliter tantum celebrati, quando contrahentes nesciunt altera forma uti posse et ne cogitent quidem verum matrimonium inire iuxta ecclesiasticas leges, imo putent actum ab ecclesia uti sacramentum non haberi.

Concludere itaque fas est canone 1098 haec requiri pro catholicis Ecclesiae subiectis:

1° Voluntas contrahentium sese copulandi matrimonio valido et ab Ecclesia uti tali recognito. Et catholici sciunt ad validitatem non sufficere actum civilem, qui velut concubinatus habetur, sed requiri formam canonicam ab omnibus notam.

2° Notitia alterius formae extraordinariae, id est absque parochi praesentia, et voluntas seu desiderium ea utendi. Nihil enim volitum nisi praecognitum, sicut communiter admittitur; quod praecipue requiri debet quando agitur de re gravi, quae onera perpetua importet.

3° Observantia conditionum quae jus ponit tum ad validitatem, tum ad liceitatem actus. Haec observantia importat conatum forma canonica ordinaria utendi eiusque impossibilitatem per tempus statutum: itemque examen conditionum pro forma extraordinaria a iure positarum ac iudicium de earum certa exsitentia.

4° Observantia earum rerum, quas jus in casu praescribit circa sacerdotis praesentiam et matrimonii adnotationem in libris praecialibus.

Iamvero si sufficeret parochi absentia tantum ultra mensem duratura, quin contrahentes intendant vel cogitent validum christianum matrimonium peragere, plura haberentur absurda: 1) contrahentes sacramentum inscii peragerent, dum ad conficienda sacramenta in ministro intentio explicita requiritur faciendi quod facit Ecclesia; 2) Contrahentes inter se indissolubili vinculo ligarentur nihil de indissolubilitate cogitantes, imo forsan contra eorum persuasionem et voluntatem, siquidem vinculum matrimonii imponi nequit invitis, et consensus matrimonialis est actus voluntatis humanus, idest ex animadvertentia et voluntate elicitus; 3°) ipsi subiective conscii essent peccati, dum eorum relationes licitae extarent; 4°) omnia connubia civilia, in illis circumstantiis inita, ab Ecclesia uti sacramenta habenda essent, lege quidem generali. Haec enim quivis sanae mentis admittere nequit.

Nostra canonis interpretatio praeterea confirmatur responso Pont. Comm. Cod. diei 10 martii 1925 ad VIII. Posito dubio: « Utrum, secundum can. 1098, ad valide et licite matrimonium coram solis testibus contrahendum sufficiat factum absentiae parochi, an requiratur etiam moralis certitudo, ex notorio vel ex inquisitione, parochum per mensem neque haberi neque adiri posse sine gravi incommodo », responsum fuit: « Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». Et ipse can. 1103 § 3 clarissime supponit contrahentes una cum testibus conscios esse *debere* de forma extraordinaria atque de obligatione adnotandi in libris paroeciae matrimonium ita celebratum, ait enim: « Quoties matrimonium ad normam can. 1098 contrahitur, sacerdos, si eidem adstiterit, secus testes tenentur in solidum cum contrahentibus curare ut initum coniugium in praescriptis libris quamprimum adnotetur ».

Ioannes Miceli
A Studiis S. C. De Sacramentis.

NORMAE PRACTICAE PRO CASIBUS PRAESUMPTAE MORTIS CONIUGIS.

Cum causae matrimoniales de obitu prioris coniugis in dies succrescant, haud superfluum videtur in memoriam revocare sequentes normas practicas in huiusmodi casibus servandas.

I. - PRINCIPIA IURIS. - Can. 1019, § 1 statuit: « Antequam matrimonium celebratur, *constare* debet nihil eius validae ac licitae celebrationi obstare »; can. 1014: « Matrimonium gaudet favore iuris, quare *in dubio* standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur... ». *Certitudo* de morte prioris coniugis requiritur cum agatur de contrahendis secundis nuptiis; quae certitudo potest esse *absoluta aut moralis;* illa excludit quodcumque dubium de veritate contraria, uti Pius XII in Allocutione ad Auditores et Officiales S. Romanae Rotae habita die 1 oct. 1942: « Vi è una certezza assoluta nella quale ogni possibile dubbio circa la verità del fatto e la insussistenza del contrario è totalmente escluso » (A. A. S. XXXIV (1942) p. 339). Huiusmodi autem absoluta certitudo melior quidem omnium est, sed saepissime obtineri non valet neque necessaria est: « Tale assoluta certezza però non è necessaria per proferire la sentenza » (Pius XII, l. c.).

Requiritur autem semper certitudo *moralis*, quae est adhaesio mentis alicui propositioni sine probabili formidine errandi, quae includit iudicium de rei veritate simulque dubium serium ac positivum excludit; « essa nel lato positivo » - ita Pius XII l. c. - « ...esclude ogni fondato o ragionevole dubbio; dal lato negativo lascia sussistere la possibilità assoluta del contrario »; et addit Summus Pontifex: « La certezza, di cui ora parliamo, è necessaria e sufficiente per pronunziare una sentenza, anche se nel caso particolare sarebbe possibile di conseguire per via diretta o indiretta una certezza assoluta ». - Non vero sufficit illa quasi-certitudo, quae non excludit omne dubium prudens et includit periculum fundatum errandi.

Certitudo *absoluta* obtinetur *ex authentico documento* de obitu; de documenti authenticitate plene constare debet. Huiusmodi mortis documentum parochus nupturientium pro posse obtinere debet: Instructio S. C. de Sacramentis diei 14 iun. 1941 dicit: « Requiritur authenticum documentum de obitu prioris coniugis » (A. A. S. XXXIII (1941) p. 309, nota 3). Documenta quibus probatur mors debent esse *ecclesiastica*, id est confecta a legitima auctoritate ecclesiastica, sc. a parochis, vel Ordinario, vel notariis ecclesiasticis

(Cfr. can. 1813, § 1, n. 1° et Instr. *Provida mater,* S. C. Sacr. diei 15 aug. 1936, Art. 156: A. A. S. XXVIII (1936) p. 313 ss.). Documenta publica *civilia* etiam sufficiunt, si sint authentica et confecta secundum uniuscuiusque loci leges (Cfr. can. 1813, § 2 et Instr. *Provida mater,* Art. 159, § 3).

Ad obtinendam vero certitudinem moralem optimam praebet normam *Instructio ad probandam obitum alicuius coniugis,* edita a Suprema S. Congr. S. Officii anno 1868, quae prostat in A. S. S. VI (1868) p. 436 ss. et in A. A. S. II (1910) p. 199 ss.; haec Instructio etiam post Codicem vigorem suum plene retinet, uti abunde constat ex praxi hodierna S. Sedis in solvendis huiusmodi casibus (Cfr. A. A. S. XIV (1922) p. 96).

Sola diuturna absentia et silentium per plures annos protractum quae ex legislatione hodierna plurium nationum tribunalibus civilibus et militaribus sufficiens praebent argumentum declarandi mortem coniugis, Auctoritati ecclesiasticae haud sufficiunt ad concedendam facultatem transeundi ad novas nuptias, etiamsi de authenticitate sententiae civilis aut militaris ne minimum quidem existat dubium (Cfr. S. Off. 28 iun. 1865: *Fontes* C.I.C. n. 984 ad 1); « Quod enim non comparuerit », ita Pius VI die 11 iul. 1789, « non magis mors in causa esse potuit, quam eius contumacia » (Cfr. citatam Instr. S. O. anni 1868).

De praesenti omnibus compertum est, quod in territorio sub dominio Russico plura milia militum ac civium in captivitate aut in publicis custodiae locis detinentur, quin ipsis fas est nuncios propinquis aut aliis mittere. Proinde, etsi constet istas personas in captivitatem Russicam cecidisse aut in territorium Russicum vi abductas fuisse, ex earum silentio etiam per longius tempus protracto, minime ad earum mortem concludi valet.

II. - *Deficiente documento authentico de obitu, imprimis ad depositiones testium recurrendum erit.*

Testes sint fide digni et iurati. Si haberi possint testes *de visu,* omnibus aliis praeferendi sunt: isti erunt interrogandi, utrum bene cognoscant, quem mortuum asserunt; quo tempore, quo loco mors acciderit; qua de causa; ubi cadaver sepultum; utrum adsint, et ubi commorentur alii, qui de hoc facto instructi sint aut esse possint. Si testes de visu sint consanguinei aut propinqui praesumpti defuncti, aut socii itineris, industriae vel militiae, eo magis plurimi faciendum erit illorum testimonium.

Generatim *duo* saltem testes esse debent qui de facto proprio deponunt, defunctum cognoverunt ac sint inter se concordes quoad locum et causam obitus, aliasque substantiales circumstantias.

Testimonium *unius* tantum testis de visu recensitis conditionibus praediti, nullique exceptioni obnoxii, plenam quidem probationem non dat, attamen valore non destituitur, praesertim si eius depositio aliis gravibus adminiculis (de quibus infra ad III) fulciatur; - imo, si alia extrinseca adminicula colligi omnino nequeant, non respuitur unius testis depositio dummodo certum sit, nihil in eius testimonio reperire, quod non sit congruum atque omnino verisimile.

Testes *ex auditu,* (qui sc. ex aliorum relationibus deponunt), si omnimoda fide digni testificentur se tempore non suspecto mortem coniugis ex aliorum attestationibus audivisse, isti autem, vel quia absentes, vel quia obierint, vel aliam ob causam rationabilem examinari nequeunt, sufficientes esse censentur pro secutae mortis prudenti iudicio, si dicta ex alieno ore omnibus aliis in casu concurrentibus circumstantiis, aut saltem urgentioribus respondeant.

Depositiones testium ex auditu magni momenti sunt si habeatur *fama* de obitu coniugis. Fama enim, aliis adiuta adminiculis, (Cfr. infra ad III) argumentum de obitu constituit, si a duobus saltem testibus fide dignis et iuratis comprobetur, qui deponunt de rationabili causa ipsius famae: an eam acceperint a maiore et saniore parte populi; et an ipsi de eadem fama recte sentiant; nec sit dubium illam fuisse concitatam ab aliis in quorum commodum inquiritur.

III. - *Prorsus deficientibus testibus, probatio obitus ex coniecturis, praesumptionibus, indiciis et adiunctis curanda erit.*

Dicit S. Pontifex Pius XII in citata Allocutione: « Talvolta la certezza morale non risulta se non da una quantità di indizi e di prove, che presi singolarmente, non valgono a fondare una vera certezza, e soltanto *nel loro insieme* non lasciano più sorgere per un uomo di sano giudizio alcun ragionevole dubbio » (l. c. p. 240).

Indicia partim inveniri possunt in qualitatibus ipsius personae praesumpti defuncti: an bonis moribus imbutus esset, - pie religioseque viveret, - uxoremque diligeret, - nullam sese occultandi causam habuerit; - utrum bene stabilia possideret; an discesserit annuente uxore et quae tunc eius aetas et valetudo esset; an saepe uxori et unde scripserit, et num suam voluntatem quamprimum redeundi aperuerit. Si pluries ratione benevola uxori, consanguineis, affinibus amicisque nuncios dederit, ac deinde ex abrupto silentium subsecutum sit, quin cessationis commercii litterarum causa aut ratio appareat, vehemens de morte praesumptio prostat. Si econtra constiterit eum, cuius decessus asseritur, numquam epistularum commercium habuisse cum sua familia aut propinquis et

amicis, indicium mere negativum nullam probationem facere poterit.

Praeterea indicia magni momenti colligi possunt ex rerum adiunctis. Sequuntur quaedam exempla quae saepius occurrunt.

Si quaestio agitur de morte militum, a ducibus exquiratur, quid de eo sciant: utrum certo determinatae pugnae terrestri, navali aut aereae interfuerit: - utrum aufugiendi aut sese occultandi possibilitas in casu totaliter aut fere omnino ablata fuerit: e. g. in praelio terrestri aufugiendi facultas abesse potuit, quia exercitus ab inimicis circumventus fere totaliter destructus fuerit; aut, si sermo habeatur de destructione navis bellicae vel de demolitione aeronavium igniferis demissis globis peracta. In hisce ac similibus casibus certitudo moralis mortis crescit prout possibilitas aufu giendi aut salvandi propriam vitam diminuitur aut fere exclusa manet: proinde talia indicia magnam vim probativam de morte coniugis afferre poterunt.

Si agatur de iis qui vi ablati in captivitatem hostis deducti ac retenti fuerint, indicia mortis saepe inveniuntur in conditione physica istarum personarum, - in ratione pertractandi, itinere perdurante, huiusmodi captivos ac praesertim in modo vivendi in locis publicae custodiae, sc. si detentis paucos cibos de more subministrarentur, - infirmorum et ad laborem inhabilium ibidem fere nulla cura haberetur ac elenchus de aegrotis aut defunctis confectus non esset.

IV. - *Auctoritas competens pertractandi casus praesumptae mortis coniugis.*

Cum Parochus nupturientium facultatem transeundi ad novas nuptias tantum concedere valeat, si habeatur documentum authenticum ecclesiasticum aut civile de obitu, quod omne dubium prorsus excludit, *Ordinarius loci* in ceteris casibus in quibus recurrendum est ad depositiones testium, ad indicia, ad praesumptiones aut ad famam, exclusivam competentiam habet. Ipsius quoque est statuere, utrum modo iudiciali aut administrativo in casibus singulis sit procedendum: interventus vinculi defensoris non requiritur (Cfr. S. C. Conc. 14 dec. 1889 (A. S. S. XXII (1889) p. 553).

Sacrae Congregationi de Sacramentis ab Ordinario loci causa cum actis omnibus transmittatur, *si ipsi, investigationibus aliisque rite expletis, res adhuc incerta et implexa videatur.* Modus procedendi S. Sedis in huiusmodi casibus magnopere illustratur in sequentibus causis, quae utiliter consulentur a Curiis Dioecesanis: S. C. Sacr. 12 mart. 1910 (A. A. S. II (1910) p. 198); S. C. Sacr.

16 dec. 1910 (A. A. S. III (1911) p. 26); S. C. Sacr. 29 apr. 1915 (A. A. S. VII (1915) p. 235); S. C. Sacr. 25 iun. 1915 (A. A. S. VII (1915) p. 479); S. C. Sacr. 25 febr. 1916 (A. A. S. VIII (1916) p. 151); S. C. Sacr. 19 ian. 1917 (A. A. S. IX (1917) p. 120; S. C. Sacr. 18 nov. 1920 (A. A. S. XIV (1922) p. 96).

P. Agathangelus a Waspik, *Consultor S. C. De Sacramentis.*

DE ACTIONE INIURIARUM EIUSQUE RELATIONE CUM PROCESSU ADMINISTRATIVO REMOTIONIS PAROCHORUM.

I

De actione iniuriarum

Ait Codex: « Quodlibet ius... actione munitur » (« nisi aliud expresse cautum sit » (can. 1667). — *Actio* autem est « ius persequendi iudicio quod sibi debetur (pr. Instit. *De action. et except.* tit. 6). *Iudicii* vero ecclesiastici obiectum est « 1° Personarum physicarum vel moralium iure persequenda aut vindicanda... vel earundem personarum facta iuridica declaranda: et tunc iudicium est *contentiosum* » (can. 1552 § 2).

Inter haec recendum est certe est ius ad bonam formam quod laedi potest delicto iniuriae (contumeliis, aut conviciis, detractionibus seu revelationibus qualitati vel facti ignominiosi veri sed occulti, calumniis seu appositione ignominiae falsae » (Wernz-Vidal, *Ius canonicum*, t. VII, *I. poenale*, n. 457).

Etsi a Codice distinguantur *iniuriarum irrogatio* et *bonae famae laesio*, generatim in iure canonico, ut iam in iure romano, uno nomine *iniuriarum*, non tantum sensu lato (= quidquid non iure fit) sed etiam in sensu stricto (= dolosa laesia honoris alieni) species omnes huiusmodi generis delictorum comprehenduntur. « Iniuria dividitur: I. Ratione *modi*, in *realem*, qua quis re vel facto honorem alienum laedit, et in *verbalem*, quae fit verbis in dedecus alterius prolatis, et *convicium* dicitur, si verba illa viva voce proferuntur, si vero scriptis *libellus famosus* appellatur. II. ratione *excessus* in *levem* et *atrocem* attenta qualitate personae laedentis et laesae atque considerata gravitate facta tum in se tum in circumstantiis loci et temporis. III. ratione *obiecti* in *detractionem* qua defectus verus sed occultus iniuste publicatur, et in *calumniam* quae consistit in pubblicatione defectus falsi. In utroque casu vera habetur diffamatio proximi. Quodsi detractio vel calumnia proferantur illo *praesente* in quem dirigitur, praeter reatum diffamationis, etiam simul *contumelia* habetur » (Wernz-Vidal, *l. cit.*, n. 455).

Ut in quovis delicto *duplex* patet *actio:* « 1° *poenalis* ad poenam declarandam et ad satisfactionem petendam; 2° *civilis* ad reparanda damna si cui delictum damnum intulerit » (can. 2210 § 1). Modus autem explicandi utramque actionem est regularis proces-

sus iure communi statutus « ad normam can. 1552-1959 ». Ita canon 2210 § 1.

Peculiare est tamen in causa iniuriarum aut diffamationis locum non fieri actioni *criminali* (uni Promotori Iustitiae sicut ceterae criminales reservatae, cfr. can. 1934) *nisi praecedat denuntiatio seu querela partis* laesae, excepto casu de actione *ex officio* instituenda ex voluntate superioris ad tutandam ecclesiasticum dignitatem ratione gravitatis delicti in clericum vel religiosum « praesertim in dignitate constitutum » (can. 1938). Ratio est quod aliquando pars laesa maius damnum — ad seipsam tantum quod spectat — acciperet poenali persecutione offensoris, unde nisi ordo publicus et generialius bonum prout supra urgeant ut *ex officio* agatur *unius offensi* est obicem remo.

Superfluum est addere causam civilem semel institutam transire ad heredes, aliter ac criminalis quae, actione proposita a Promotore Iustitiae vivente querelante, ad finem perducitur agente eodem publico ministerio.

Rectissime autem praesertim cum agitur de clerico, a fortiori si in aliqua dignitate constituto, interventus decernitur Promotoris Iustitiae (cfr. *Normae S. Rotae*, a. 24, § 1) in eiusmodi civili iudicio bonum publicum profecto tangente. Ait enim clariss. Roberti (*De process.*, ed. 1941, vol. I, n. 123): « (Promotor Iustitiae)... instat pro legis executione in causis contentiosis in quibus bonum publicum in discrimen venire potest... » iamvero — prosequitur Exc.mus Roberti: « Una cum actione criminali promotoris pars laesa potest proponere *actionem contentiosam de damnis*. Hanc vero ipse promotor fovere potest *quia semper aliquod elementum continet boni publici* » (Roberti, etc., *loc. cit.*).

Confirmat perbelle Cardinalis Lega: « Interposita querela damni ex delicto delinquens non satisfacit restaurationi *publici ordinis* per delictum laesi, nisi etiam satisfaciat parti laesae » (Lega, *Comment. in iud. ecc.*, vol. II, pag. 262).

Integrum quoque est parti laesae alterutri actioni (quantum in se est) renunciare una tantum delecta quae proinde agitatur independenter ab altera (can. 2355 « non solum cogi potest ad damna reparanda [actio civilis] sed *praeterea...* »).

II

De natura et ambitu processus remotionis parochorum et de eius relatione ad iudicia stricti iuris.

Decretum « *Maxima cura* » a S. C. Concistoriali die 20 aug. 1910 editum, in Codicem relatum est *fere* ex integro, *paucis immu-*

tatis (cfr. can. 6, nn. 2, 3, 4). Obiectum huius procedendi modi « ad animarum saluti consulendum », determinatur his expressis condicionibus et circumstantiis, nempe: « *si vi canonici iuris, criminali iudicio ac poenali destitutioni non sit locus;* parochus autem hac illave causa, *etiam culpa semota, utile ministerium in paroecia non gerat* vel gerere nequeat, aut forte sua ibi praesentia noxius evadat » (Decretum « *Maxima cura* » *Cod. Iur Can. Fontes*, vol. V, n. 2074). « Dicitur enim si criminali iudicio ac poenali destitutioni non sit locus » nam « si quis scelestus creditum sibi gregem destruat magis quam aedificet, is debet... quantum fas est, *instituto iudicio de crimine*, beneficio *privari*, hoc est a parochiali munere abduci » (*decr. cit.*). Vitata proinde administrativa procedura, seu *si integra* minime incohata, et, *si pendente*, suspensa, Ordinarius parocho in ius rapto de crimine infamiam facti inducente, *prohibere debet quominus curam animarum gerat, Vicario ad interim assignato* usque ad finem processus (can. 31, cit. decr.).

In casibus autem a lege determinatis (can. 2147 § 2) proceditur oeconomice seu administrative « nullo iudiciali apparatu sed administrativo modo decernitur nec parochi poenam propositam habet, sed utilitatem fidelium » (cit. decr., etc.).

Ideo etsi « duo vel tres testes sive ex officio arcessiti, sive a parte inducti *audiri non prohibeantur* » (can. 2145) tamen testes audiri per se non est necesse *nec parochus hoc exigere potest* (contrarium tantummodo non prohibetur). Ad omittendam excussionem testium in favorem accusati adducendorum sufficit suspicio Ordinarii quod de testibus proponendis sermo fiat « ad moras nectendas » (can. 2145 § 1). Quodsi Episcopo permittente aliquis audiatur testis, hoc fiat « quolibet iudiciali apparatu et *reprobationibus* testium exclusis » (can. 16 *cit decr.* « *Maxima cura* ») seu, ut ait Card. Lega: « *excluso advocatorum patrocinio* et testium auditione et productione *in contradictorio* » (Card. Lega, *Commentarium in iudicia eccles.*, vol. I, pag. 27). Hac de causa huiusmodi sapiens quidem dispositio, ad bonum publicum exceptionaliter lata, *iudicium vocari nequit*, sensu proprio huius verbi (Card. Lega, *ibid.*) cuius quidem *intrinseca* et *essentialis forma* est ut « evolvatur *in contradictorio* seu facta utrique parti plena et libera facultate sua iura defendendi et tuendi » (Card. Lega, *loc. cit.*, pag. 17). Deest de cetero pars actrix sive publica (promotor iustitiae, fiscalis) sive privata (actor) in processibus administrativis *partis III, libri IV, Codicis* de quibus agimus, nec iurium declarativae sententiae sunt, nec tales vocari possunt illae decisiones quae administrativos processus concludunt ut egregie relevat E.mus Auctor (*loc. cit.*, pag. 24-25). Decisiones autem in processu de remotione parochorum hoc unum statuere valent: animarum salutem et bonum publicum Ec-

clesiae exigere ut parochus, hac vel illa causa ex recensitis, *relinquere debere paroeciae gubernationem quin indicetur de obiectiva veritate impacti fortasse criminis;* ideo etiam verba « *probabile* crimen occultum » quibus lex nostra utitur (cfr. cit. prooem. decr. « *Maxima cura* »).

Non est igitur mirandum hac quoque de causa si praeter recursum administrativum ad S. C. Concilii (can. 1601) nulla appellatio iudicialis concedatur parocho amoto, nec ipsi liceat Ordinarium de damnis forte inde obventuris vel iam sequutis convenire (Pont. Commiss. Interpr. Cod. respons. diei 22 maii 1923, *A. A. S.*, XVI, 1924, pag. 251; cfr. etiam Constit. « *Ad militantis* » Benedicti XIV, 30 martii 1742, part. 5 et 19 in Gasparri, *Cod. I. Can. Fontes,* I, 326). Cfr. quoque decisio *coram Parrillo,* diei 30 aprilis 1923 (*Dec. S. R. R.,* vol. XV, pag. 82 et seqq.).

Quodsi canonica lex in bonum animarum sapientissime et iure merito censuit permittere ut illud plus minusve strictum ius ad regendam paroeciam, non quidem in privatum bonum sed in salutem fidelium sibi concreditam, detrimentum aliquod pati possit (Card. Lega, *loc. cit.,* pag. 27), non ideo eadem Canonica Lex parochum illo iure privare intendit, quod huic *vi legis naturalis* competit ad *obiectivam-iuridicam,* summo iure cognoscendam seu declarandam *rei veritatem,* ad bonam famam *insuper* coram populo recuperandam quam apparenti illa causa, in vim cuius (quantumvis rite) amotus est, amisit.

Amotus proinde a paroecia, quidquid est de subiectiva persuasione Episcopi ex. gr. circa « probabile crimen occultum » parocho imputatum de quo in can. 2147 § 2, n. 4 videlicet de eius existentia, imputabilitate, gradus, *nullimode iure privatur* quod parocho ipsi tam lex naturalis, quam canones Codicis in eodem lege fundati tribuunt, nempe iure *ad debitam satisfactionem* sibi praestandam *damnaque reparanda* in sua bona fama laesa. Hinc ergo amotus — *etiamsi amotioni acquiescere debeat* ob rationes superius expositas et confirmatas in iurisprudentiae monumentis iam adumbratis aut afferendis — vi tamen canonis 1938 § 1 interfectores iniustosque percussores suae bonae famae in tribunali ecclesiastico *denuntiare* (querela proposita) valet, vel *actionem* de damnis eos adversu *instituere* coniunctim vel seorsim a querela seu denunciatione.

Merito quidem S. R. Rota egregio iudicio *coram R. P. D. Francisco Rossetti, Auditori Ponenti die 20 octobris 1917* confecto, principia huiusmodi confirmat. Agebatur de parocho calumniose accusato de crimine pessimo et incestuoso. Sacerdos quidam, vicarius cooperator hac in accusatione partem habuerat non parvam: « sua enim agendi ratione causa iniusta et efficax fuit (ait Rotalis sententia) ex quo nedum dispendium honoris sed *etiam amotio a pa-*

rochiali Beneficio originem habuit » (*Decis. S. R. Rotae,* vol. IX, Dec. XXVI, n. 24). Parochus vero coram Tribunali ecclesiastico, diffamationis *querelam* proposuit in illum sacerdotem a quo *damnorum* postulavit refectionem et sententiam favorabilem obtinuit. Appellata sententia, secundi gradus tribunal priorem, quoad substantiam, confirmavit. Tertio provocante ad S. R. Rotam reo convento N. S. Tribunal ad dubium: « An constet de diffamatione (in casu) » respondit: « *Affirmative* seu *constare de diffamatione;* ita ut sit locus poenis et *refectioni* damnorum ».

Plene autem confirmantur principia a nobis exposita itemque ex hac sententia confirmatur administrativam proceduram eiusque definitionem *minime obstare* quominus *iudicialis processus* instituatur contra auctores diffamationis, ex qua administrativae amotionis *sufficiens motivum, in illo casu.* Haud obstante enim condemnatione calumniatoris, causam pro parochi remotione (administrativae quidem) in suo robore subsistere dicendum est, cum suum ministerium *utiliter non amplius exerceri* possit in paroecia — iuxta frequentem conclusionem administrativi processus — imo sua praesentia in paroecia noxia merito haberi potest secundum ea quae Procurator Fiscalis Curiae exposuit: « Osservo con le pa-
« role di un teste che lo scandalo è enorme e con l'autorità di quasi
« tutti i testi, che la parrocchia di C. è moralmente e religiosamen-
« te assassinata. E non solo essa ma tutti i paesi dei dintorni e
« di gran parte della diocesi sono avvelenati. Il sacerdote Luigi
« poi è moralmente assassinato come parroco e come sacerdote.
« Solo un teste ha l'ingenuità di dire che può ancora far bene in
« parrocchia: se però vince la causa. Tutti gli altri, senza distin-
« zione di sorta, ammettono che egli non può più esercitare con
« frutto il suo ministero. Tutto questo non sarebbe avvenuto senza
« l'opera di D. Giovanni (calumniator) ». Argumentantur proinde Rotali Judices: « Ideo Joannes (calumniator) damnum Praeposito Aloysio censendus est dedisse *quando ea peregit, quae necessitatem induxerunt omissionis Parochialis Beneficii,* licet ab hoc serius amoveatur, *sed realiter amoveatur,* et *ex tunc* restitutionis onus incumbit » (loc. cit. n. 27).

Unde sententia rectissime concludit ex hoc capite, obiter considerata opportunitate ex parte competentis auctoritatis decernendi amotionem, tamen *ad damna quod spectat* (quod est alterum obiectum iudicialis sententiae praeter poenas in calumniatorem infligendas) decernit: « cum... *ex culpa curati Ioannis* (sac. Aloysius)
« *materiale patitur damnum* quod in fructuum *Beneficii amissione*
« *consistit, quodque non aliter hic consideratur* quam ad effectum
« refectionis, quae curato Ioanni incumbit, qui fuit illius causa
« si culpa tua datum est damnum, vel iniuria irrogata, aut aliis

« irrogantibus opem forte tulisti, aut haec imperitia tua, sive ne-
« gligentia evenerunt, iure super his satisfacere oportet, nec igno-
« rantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo iniuriam verisi-
« militer posse contingere » (cap. 9, tit. 36, lib. V, decret. concor-
« dat cap. 6 et eodem cit.). Iamvero quae nostri iuris sunt « iusti-
« tia laedere vetat: laesis siquidem solo iniuria irrogata est, satisfa-
« ctionem, sin et damnum illatum, restitutionem exigit » (D'Anni-
« bale, II, n. 102) duplex enim datur etc. etc. ».

Hucusque laudata sententia. Similiter in alia causa S. Rota declarat quod si crimen ob quod parochus bonam existimationem amittit et consequenter amotus fuit a paroecia (« Curia voluit mitius agere applicando remotionem *oeconomicam* ») sit falsum, *eiusdem parochi* « *intererat per querelam* iuridice proponendam, a se *calumniam repellere,* et *ad hoc etiam tenebatur* utpote persona publico munere fungens; quamobrem *iuri suo* ad famae integritatem *renunciare non potuisset* » (Dec. C. R. Rotae, vol. I, dec. V, *coram R. P. D. Lega, Decano,* diei 11 maii 1909).

Sicut nemini rationabiliter venire potuit in mentem obicem contra iudicialem disceptationem causae coram R. P. D. Rossetti, die 20 octobris 1917 definitae, invenire in cap. I, art. 11, n. 10, Const. *Sapienti Consilio* (an. 1908) (quaestio semel instituta, etc.), aut in can. 16 *Legis propriae Rotae et Signaturae* (odiernus can. 1601) eodem modo frustratorium aut nugatorium esset ad huiusmodi cavillationes recurrere hodie in similibus.

Apertissime praeclarus iuris processualis magister et doctor Eminentissimus Lega scribit: « Neque exinde (ob plenam et nul-
« limode limitatam facultatem sese defendendi concessam accu-
« sato) timendum est ne nimis in longum se protrahat cognitio iu-
« dicialis et definitiva criminum punitio cum discrimine boni ani-
« marum, si accusatus interim animarum curae incumbat. Nam
« sapientissime cann. 2142-2185 prospiciunt, etc.

« [*Nota*]. Utrum de hisce delictis peti possit ab accusato, ut
« *firmis remediis iam decretis in linea disciplinari,* cognoscatur
« iudicialiter et ad effectum pure poenalem est quaestio cui Codex
« directe non respondet, at indirecte *resolutio repetitur a prae-*
« *scripto can. 1938 de causis iniuriarum* et *diffamationis:* siqui-
« dem *remotus posset querelam de iniuria et diffamatione movere*
« *et inde provocare processum poenalem quo querelans absolvetur*
« *vel condemnabitur de delicto controverso* » (Card. Lega, *Commentarium,* etc., vol. III, pag. 293).

Item frustratoria exceptio esset principium de connexione causarum invocare ad impugnandum valorem criminalis aut civilis actionis in calumniantes institutae. « Connexio, aut Roberti, *De processibus,* vol. I, n. 26, supponit aliquod elementum obiectivum

commune inter actiones (rem petitam, vel causa petendi vel rem *et* causam simul); continentia praeter alterutrum elementum obiectivum commune audit communes esse personas ». Effectus vero connexionis in competentiam sunt: 1° *Prorogatio competentiae;* 2° exceptio connexionis. At vetatur prorogatio cum obstant limites competentiae functionalis et ideo, excepto casu de quo in cit. cap. I, art. II, n. 10, Const. *Sapienti consilio,* administrativae auctoritatis est de *obiectiva fama* summarie ad effectum providendi bono animarum citra certitudinem obiectivam et formalem delicti forte impacti: Tribunalium autem est assertos delinquentes, si constent iniustam causam calumniosae detractionis, punire, damnificantes ad reparandum cogere, strictis normis iudicialibus servatis. Exceptiones regulae *probandae* sunt, *non supponendae.*

« Nisi casus sit, cap. I, part. II, art. II, n. 10, Const. *Sapienti consilio* » *diximus;* etenim certe concedendum est quod « Quaestione semel instituta penes Congregationem aliquam administrativo ac discipline tramite et *a partibus admisso* aut saltem *non recusato* hoc agendi modo, his iam non licet *eadem de causa* quaestionem stricte iudicialem instituere » attamen (nisi contrarium positive constet) *non est praesumendum* parochum qui subire cogitur limitationem iuris defensionis in processu administrativo ratione altioris boni statutam, *renunciare quoque velle* suae facultati actionem stricte iudicialem instituendi contra eos quos culpabilem causam censet iniusti damni sibi illati. Difficillime proinde hac in re locum habebit clausula « a partibus admisso aut saltem non recusato... ».

Quia vero cautelae omnes servandae sunt ad nullitates absolutas omnino vitandas, Tribunalia, antequam eiusmodi tractandas suscipiant quaestiones, S. Congregationem Concilii interrogare curabunt ad sese certiora facienda *an praeventio locum habuerit* penes Sacram Congregationem.

Hac rara hypothesi seposita, *nullum dubium de competentia tribunalis.*

Ulterius: exceptio connexionis, praeter quam inutilis, obstantibus ut supra « limitibus competentiae functionalis » — sin litis contestatione (can. 1628 § 1) certe praeclusionem obtinebit sententia definitiva (can. 1630 § 1). Frustratoria igitur esset oppositio eiusmodi in secunda instantia.

Non minus reicienda est a limine quaevis exceptio ex verbis cit., Const. *Sapienti consilio* petita. « Eoque minus deliberata re atque ad sententiam deducta fas est hoc agere » (id est « *eadem de causa* actionem stricte iudicialem instituere » velle post decisionem alicuius S. Congregationis). Etenim in casu remotionis

administrativae parochorum *non agitur de eadem re: Coram S. Congregatione:*

a) persona: parochus (et *quodammodo,* sed omnino improprie, Episcopus);

b) obiectum: paroeciam retinendi, vel amittendi;

c) causa petendi: ob utilem aut inutilem (seu noxiam) suam operam.

In Tribunali:

a) personae: parochus et asserti calumniatores, Promotore Iust. agente vel tantum interveniente;

b) obiectum: poena et refectio damnorum, vel alterutrum (aut absolutio reorum);

c) causa petendi: ob iniurias (calumnias, diffamationes).

Nemo est qui non videat *toto coelo differre* quaestiones ideoque « *res* deliberatas et ad sententiam (forte) deductas ».

Seclusa proinde hypothesi de qua supra de voluntaria admissione administrativi tramitis *pro hac altera quaestione,* excluso proinde quod Sacra Congregatio quaestionem de calumniis damnisque *praeoccupaverit,* integrum erit parocho aut Promotori Iustitiae actionem apud tribunal instituere, et etiam devolutionem fori, si censuerit a S. Trib. Signaturae postulare, uti integrum erit Supremo Tribunali petitioni huiusmodi obsecundare.

Hoc autem si fiat, bene recolendum est, ex can. 40 *Legis propriae,* Supremum Tribunal constanter tenere normam *non suscipiendi tractationem alicuius negotii* pertinentis ad potestatem sive contentiosam, sive voluntariam (uti assignatio fori commissorii diversi ab ordinario) *antequam ipse recursus submittatur Cardinali Praefecto, praevio examine* ut pateat utrum *fundamentum boni iuris habeat; quod* si desit, a limine reiicitur.

Quis sanus cogitare poterit S. Trib. Signaturae votum favorabile edere et a S. Pontifice expetere *forum devolutivum...* ad conveniendum Episcopum de damnis ob administrativum decretum amotionis, vel ob denegatam paroeciam? E contrario potius supponendum est notitias omnes prudenter sumere *etiam cum de iis agitur quae per se ad strictum iuris tramitem* pertractanda reservantur, quae tamen ob materialem (ut ita dicamus) connexionem, *obiectum theorice loquendo esse potuerint* administrativae quaestionis et decisionis apud Sacram aliquam Congregationem. Hoc profecto ne potestas etsi voluntaria exerceatur in vacuum eo vel magis cum agitur, ut in casu, de gratia a S. Pontifice expetenda, servatis servandis.

Hac de causa statuit art.177 *Normarum S. R. Rotae* non admitti quaestionem seu dubium de fumo boni iuris ad concedendum gratuitum patrocinium *cum intervenerit Commissio Pontificia.*

Haec omnia pro veritate scribentes publici iuris facere rati sumus non ad enervandam debilemve reddendam ecclesiasticam disciplinam, sed potius et tantum ad promovendam iustitiam quae iure merito ipsius divini Regni Amoris et Pacis fundamentum et tutamen princeps haberi debet.

Ioannes Pendola
Sacrae Romane Rotae Promotor Iustitiae.

DE PROCESSU CANONICO SUPER MATRIMONIO RATO ET NON CONSUMMATO

De supplici alterutrius vel utriusque coniugis libello ac de potioribus praesuppositis sive ad petendam dispensationem sive ad obtinendam facultatem canonicum processum conficiendi rite ordinatis.

SUMMARIUM: De partium conscientia circa factum non consummationis matrimonii et de ipsarum scientia circa Summi Pontificis potestatem dispensandi super rato. De confessione deque porrectione consueti supplicis libelli. De praeviis litteris Ordinarii proprii pro investigatione et pro peropportuna informatione super iuridico fundamento precum simulque de coniugum animorum concordia studiose ac diligentissime tentanda.

De debito responso ad normam exacto circa antecedentia, concomitantia et subsequentia nuptiarum celebrationem, circa causas petitae dispensationis a matrimonii vinculo, circa probitatem et credibilitatem viri et uxoris, circa tentatam, forsan in cassum, mutuam inter sponsos reconciliationem necnon de peracta exquisitione ac de transmissione authentici exemplaris allegandae fidei de initi matrimonii celebratione ex integro, prout iacet in regesto matrimoniorum, atque omnium cuiusvis generis documentorum, si et quatenus habeantur, ad rei veritatem directe vel indirecte facientium.

De Ordinarii informatione transmittenda ad S. R. Congregationem, in unoquoque casu de iure vel alias competentem, et praesertim de Ipsius voto super opportunitate, perpensis omnibus ac excluso populi rumore vel periculo scandali inter fideles forte exorituri, instruendi, suetis concessis facultatibus, canonicum processum ad effectum, de quo agitur.

I. De partium conscientia circa adsertam non consummationem matrimonii ac de ipsarum scientiae consideratione quoad extraordinariam seu ministerialem seu vicariam Summi Pontificis potestatem dispensandi a matrimonio rato et non consummato.

Primarium seu praecipuum fundamentum iuridicum, vel potius morale, legitimae petitionis alterutrius vel utriusque coniugis ad obtinendam pontificiam gratiam dispensationis esse nequit nisi ipsum factum non consummationis initi matrimonii obiective verum et subiective pro certo habitum.

Quae non consummatio in controversiam deducenda agitari potest, si nullo modo peracta fuerit post validas nuptias nec per unum saltem coniugalem actum de se naturaliter aptum ad prolis generationem.

Age quidem quod ipsamet variis ex rationibus aliquando oriri dicitur et diversa via, petentibus apprime conscia, invocari valet recteque probari. Quod absque ambage intelligitur et facillime constare videtur, si unus in alterum coniugem nullibi inciderit; vel si alteruter altero occurrerit; idest: numquam adfuit mutua cohabitatio; aliis verbis: etiamsi ambo inter se conversati sint, una non vixerunt et semper ita simul fuerunt ut, peculiaribus adiunctis datis et locorum personarumve circumstantiis, nec physice nec moraliter ipsis fuerit possibile quodlibet exercitium, vel semel peractum, naturalium munerum coniugalium.

Item adserta non consummatio fieri potest et quoque admitti, si saltem unus coniugum, ob nimiam, etsi stricte probandam, difficultatem physiologicam vel psychologicam, opere coniugali saepe saepius ac libenter navato, numquam, nec minime aut partialiter, cum altero coniuge rite factus sit, pernoto sensu scripturistico, *una caro* canonice intellecta.

Quibus in casibus et aliis huiusmodi infaustae vitae maritalis neuter coniux, maxime ille vere innocens, etsi obstet sanctum et natura sua indissolubile ligamen magni Sacramenti, impediri potest quominus coram Deo et hominibus saluti animae suae consulere valeat.

De iure iam condito ac iuxta vigentem praxim Ecclesiae, rebus sic stantibus, quilibet ligatus in coniugio unice, vel potissimum, ad sibi in tempus ac in aeternum providendum recurrere quit ad Ecclesiam et suas porrigere humillimas preces, altero coniuge etiam invito, dummodo non inscio, ad impetrandam benevolam et optatam concessionem pontificiae gratiae dispensationis a suo matrimonio, quod asserit, retinet et iureiurando contendit ratum tantum fuisse et non consummatum.

Porro si partes, quibuslibet spretis remediis atque consiliis et hortationibus aliisve opportunis mediis ac minis quoque in cassum adhibitis, adhuc et omnino renuant sive ex mala indole sive gravi culpa vel ex cogente necessitate, redire ad mutuum et pacificum convictum, expeditne easdem relinquere in suo tam abnormi statu pernicioso cum periculo habitualiter peccandi? Minime! At, quaeso, decetne sponsos, etsi peccatores, non exaudire, si, in sua incontinentia constitutos, ipsi absolute vivere nequeant sine continua contumelia Creatoris? Nequaquam! En vera et praecipua ratio tam effusae et notae sollicitudinis Sanctae Ecclesiae; en salutaria et paterna quaedam incitamenta universalis et vicarialis charitatis supremi et communis Pastoris immensi fidelium ovilis!

Cum igitur saluti animarum aliter, seu utiliter et efficaciter consuli non possit, nisi concedatur in casu, iuxta ineffabilem ac

statutam divinae redemptionis oeconomiam, singularis dissolutio vel rescissio infelicis vinculi coniugalis, huiusmodi summa gratia ordinis administrativi spiritualis, etsi sine ullo partis vel partium iure aut merito, non videtur reapse prohibita, ut peti nequeat, nec ut negari liceat.

Age insuper quod si in calamitosa quadam et infausta rerum conditione, vinculum sacramentale matrimonii solummodo rati, secus semper ac fortiter defendendum, utcumque maneret in suo iuridico robore et in sua naturali firmitate, quin unquam frangatur vel dispensari possit, plenissima et absoluta regula indissolubilitatis practice contradiceret necessario studio ministerii pastoralis erga animas servandas. Quo temere neglecto aut minimi momenti pro lubitu habito, matrimonii nudum vinculum, adsertae non consummationis veritate probata et in tuto posita, fieri posset intolerabile onus pro redemptis sanguine Christi. Quimet, duro laqueo undique circumventi, continuo peccando, certum in periculum se committerent sive amissionis gratiarum, quarum numerus iniri non potest, dum vivunt, sive generatim finalis et aeternae damnationis post mortem.

Quae omnia remisse dicuntur, nisi aliud in posterum sanciatur et cauto semper ne quivis sapientum infrascripti opinionem, consilio significatam, accipiat in contumeliam.

Vix autem meminisse oportet omnibus et singulis, speciatim interesse habentibus, quod in processibus canonicis super matrimonio rato et non consummato necessario et usque a limine praemittendum venit: quod nempe si falsum callide proferatur aut si assertio non consummationis, obiectiva carens veritate, nullo fundamento nitatur aut solummodo probari nequeat, quolibet ex defectu, omnes, potissimum partes, etsi bona fide, prorsus inutiliter adlaborarunt ac inde, in sua certa definitaque causa, nihil habuerunt et nullam dispensationis gratiam obtinuerunt.

Optime et perbelle ad rem sonant clarissima et memoranda verba Decreti S. C. de Sacramentis diei 7 maii 1923 « Catholica doctrina »; idest: « Alterum dein consequitur, quod alte usque insidere debet in animo iudicum et testium ac praesertim partium dispensationem efflagitantium; videlicet, si res aliter se habeant ac ab oratoribus asseruntur, id est si matrimonium ratum reapse fuerit consummatum, et veritas in processu non detegatur, vel ex culpa aut oscitantia tribunalis, vel ex fraude aut desidia partium et testium, *pontificia dispensatio forte obtenta, utpote suo fundamento destituta, nullius est valoris;* et matrimonio, quod dispensatum ducitur, in suo valore permanente, si partes vinculo matrimoniali se solutas existiment, et aliud matrimonium in facie Ecclesiae ineant, hoc revera est invalidum, proindeque putati coniuges

filiique forte progeniti, graviorum malorum vinculis pene inextricabilibus implicantur ».

Nemo est qui non videat et intelligat quam sancte servanda vel suadenda atque optanda profecto sit, servato matrimonii vinculo castitas sponsorum infausto in coniugio; at quis tam heroicum consilium imponere valebit, quando satis est adimplere saltem praeceptum, extante via dispensationis? Certissime melius esset si sponsi, legitime copulati, permanerent uti frater et soror in suo coniugio quam libertatem adipiscerentur et optarent; verumtamen hoc non est humanum, stante communi mortalium fragilitate!

Constat enim, proh! dolor, non omnes, etsi vivere cupiant in lege Domini, capere verbum istud et tam durum sermonem; imo generatim homines non semper se continent aut percurrunt facile evangelicae perfectionis semitas! Ceterum « unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic » (cfr. S. Paulus, Ep. ad Cor., I, cap. VII, v. 7). Quapropter, rebus sic stantibus, si infelices miserandique coniuges, maxime innocentes, probare contendant factum non consummationis sui matrimonii et adducere valeant graves urgentissimasque causas, potissimum spirituales, cur impediantur quominus, ad Deum infinitae iustitiae simul ac misericordiae cum fiducia adeuntes, petant et optent propositam gratiam dispensationis? Quinimmo edoceantur recte ut noscant quod, obtenta aliquando gratia forte a Sanctissimo concessura, si se continere nequeant, nubant, si velint, iterum in Domino; quippe quod et pro ipsis stat S. Pauli adagium: « melius est enim nubere quam uri »!

Ad perpendendam autem et considerandam scientiam partium quod spectat circa tam excelsam potestatem Summi Pontificis in concedenda dispensatione a matrimonio rato et non consummato animadvertendum ducitur, huiusmodi scientiam, dummodo non sit de industria aut malitiose acquisita suspecto tempore, nec petentibus nec testibus aut aliis nocere ad effectum, de quo agitur. Veritas odium parit; sed nec vitae sanctitatem obnubilat, nec lucernam morum extinguit, nec ecclesiasticam disciplinam debilitat aut Dei gloriam minuit! A priori nulla admittitur ratio fundata dubitandi de ipsarum partium sinceritate et credibilitate, maxime si bene commendantur et declarentur religiosae et honestae, quando, edoctae iam a pueritia vel ab adolescentia sua, ope notionum catecheticarum aut collationum spiritualium, aperte asserant se bene noscere Summum Pontificem posse, ob summam clavium auctoritatem, dispensationem a matrimonio tantum rato, suo iure, concedere.

Nec aliunde est quid timendum, si pastores animarum, zelo

quo pollent et omni prudentia, docere soleant fideles, inter alia, relatam quoque Summi Pontificis potestatem.

Definiendum tamen semper est et simul prae oculis habendum tempus, quo partes vel testes aut alii in iudicium vocati sciverint vel forsan scire cupierint quomodo, num et quousque Summus Pontifex possit dispensare super rato; quod sedulo est adnotandum ut determinetur tempus, quod suspectum, in casu, esset vel aestimari posset sive ad considerandum robur dictorum, assertorum et quarumlibet depositionum sive ad rectum iudicium de rei veritate, ad finem, profferendum.

Ceterum partes, si, insciae de possibilitate obtinendi dispensationem, veraciter narrent parentibus vel consanguineis aut vicinis, praesertim bonae famae, suas coniugales angustias et vicissitudines ac sine fuco et fallaciis repetant factum numquam peractae consummationis sui matrimonii, magis credibiles haberi possunt et sunt; nec autem afficiuntur iuridica suspicione, si postea, data occasione, edocentur de Summi Pontificis potestate dispensandi; imo per se facilius ac securius, suetis sub conditionibus et servatis sevandis, sperare valent tam pretiosum et gratuitum fructum cognitae potestatis.

In quo definiendo negotio, tam sacro et tam periculoso, tam momentoso et tam ponderoso pro suis consectariis, vere tangente divinum ius publicumque bonum, etsi cautissime agendum, nulla a priori adsit superlatio et traiectio veritatis, quasi sola malitia regnet inter homines, at nulla bonitas; nam si iura cotholicae Ecclesiae ad proprium commodum spirituale et sociale revocentur, duce Romano Pontifice, nullum apparet periculum in mora pervetendi omnia aut contra Ecclesiam sentiendi!

2. *De confectione ac de supplicis libelli debita porrectione.*

In canone 1973, cap. III, in quo fit sermo de iure accusandi matrimonium et postulandi dispensationem super rato, aperte legitur: « soli coniuges ius habent petendi dispensationem super matrimonio rato et non consummato ». Quae verba innuunt nec parentes, nec coniugum consanguineos aut amicos, utcumque controversiam ad suam utilitatem referentes, quodlibet habere ius, imo eosdem nec per se fungi posse munere quasi procuratorio sive directe acceptato sive ex officio vel proprio marte suscepto aut forsan ex industria quaesito, sive petendi sive suggerendi petitionem pro imploranda concessione gratiae pontificiae dispensationis.

Partium autem preces, libero et personali motu ad formam cuiuslibet supplics libelli rite concinnatae et scripto confectae, vel ignoto signo vel proprio nomine subscriptae, semper destinari debent Romano Pontifici et generatim porrigi Ordinario proprio,

qui sedulo eas una cum sua informatione transmittere curabit ad competens Sacrum Romanum Dicasterium.

Fieri aliquando solet et potest ut, attentis locorum et personarum peculiaribus adiunctis, maxime si partes scribere nesciant, Ordinarius, quodam usu vel forsan abusu a maioribus vel ab immemorabili recepto, suam faciat et scripto exaret dispensationis efflagitationem, oretenus tantum significatam; at hoc minime est adprobandum, imo prohibendum.

Praxis huiusmodi, etsi diuturna, minus apta est et nullatenus continuanda vel servanda, quia minus conformis iuris tramiti et processus regulis servandis statutisve normis.

Nihilominus satis est, hac in subiecta salebrosa quaestione diiudicanda, ut coniuges solas indicent difficultates et genuinam exponant factorum narrationem, ex qua deducatur opportuna instantia ad gratiam dispensationis de more petendam.

Antequam nomen suum subscribant partes, perlegant saltem oportet aut attente audiant tenorem suarum relatarum assertionum, si quid habeant addendum vel mutandum vel excipiendum, et aperte dicant an libellus uti exactus et veritati concors sit; quo in casu, scienter et libenter suam facere possunt propositam relationem, etsi aliena manu scripto exaratam.

Qui libellus supplex, etiam quando alteruter vel neuter orator scribere sciat aut valeat, aliquo saltem signo crucis adaucto et a testibus fide dignis subscripto, semper contineat necesse est: « plenam et accuratam totius facti speciem et causas omnes, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere possunt (Constitut. *Dei miseratione*, n. 15); appositis etiam die, mense et anno, seu data exhibiti libelli, necnon dioecesi, in qua orator aut oratores commorantur » (cfr. n. 6, § I « Reg. Serv. » S. C. de S.).

Imo diligenter advigilandum est ut huiusmodi supplex libellus, scripto exaratus et subscriptus a parte oratrice aut solummodo approbatus post perlectam vel auditam, etiam per credibilem interpretem, relationem, uti v. g. in quibusdam remotissimis locis missionum, referat integram, accuratam et quam maxime fidelem, etsi concinnam, expositionem factorum.

Ad quem probe conficiendum, sedulo habeatur prae manibus, quantum fieri potest, pro exemplari, qualibet sueta formula, ad rem valde accomodata, uti v. g. illa diligentissima ac studiose adlaborata in Appendice « Regularum Servandarum » iam citatarum, in qua inveniuntur collectae praecipuorum actorum formulae, quae utiliter et opportune adhibentur hisce in causis.

Demum quamvis cuilibet fideli integrum sit suum supplicem libellum directe ad Sanctam Sedem vel ad Ipsum Romanum Pontificem, necessariis cautionibus, transmittere, expedit nimis et sem-

per suadendum est, saltem ad temporis dispendio parcendum, ut id per proprium Ordinarium fiat, qui bene scit quid agere et quomodo se gerere debeat quique est, nisi aliter provisum fuerit, « Ordinarius loci, in quo matrimonium celebratum est, aut in quo orator domicilium aut quasi domicilium habet; aut, si pars oratrix sit illegittime separata ab altero coniuge, in quo haec pars conventa, dummodo sit catholica, domicilium aut quasi domicilium habet » (cfr. n. 8, § 1 « Reg. Serv. » S. C. de S.).

Licet tamen, si casus aliquando ferat, oratori recurrere etiam et unice ad Ordinarium loci suae actualis commorationis, maxime si fuerit peregrinus in Urbe (cfr. can. 1562); qui aditus Ordinarius, si nihil obstet vel si in contrarium nihil militare videatur, preces benigne acceptare valet easque commendare ac, pro suo munere, transmittere ad Sanctam Sedem, praesertim cum plerique testes audiendi ibidem, in sua dioecesi vel quasi-dioecesi, degant vel degere intendant sive ad tempus sive in perpetuum.

3. *De Ordinarii praeviis ad processum instruendum investigationibus.*

Ordinarius, de iure vel de facto habitus uti proprius, qui suam, sedulo elaborandam et Romam transmittendam, addere debet informationem, opportunas ac diligentiores ne omittat facere investigationes super iuridico fundamento precum partis oratricis ac de opportunitate, in casu, instruendi canonicum processum petitae dispensationis.

Litteris datis studiosam curam adhibeat ut parochus vel quasi-parochus viri et uxoris vel idoneus Sacerdos vel quilibet etiam sibi pernotus et bene visus laicus, pius omnique exceptione maior, interrogent saltem nonnullas personas loci, quas digniores vel potius edoctiores retinent, et discant usitatam populi opinionem, quae in ambitum currit, sive de factis causisque assertae non consummationis matrimonii sive de vitae genere et probitate oratoris aut oratorum dispensationem efflagitantium.

Audiatur praesertim altera quoque pars, quamvis et tantum extraiudicialiter, de veritate facti in supplici libello adserti ac, peculiari diligentia alacrique sollertia, exquirantur dilucidationes, assertiones et attestationes de omnibus elementis et adiunctis, de qualitatibus partium, quarum interet, ad plane roborandas oblatas preces circa rei veritatem et allatas causas dispensationis.

Quare Ordinarius, stricto officio, tenetur continuo advigilare et celeriter satagere ne coniugale consortium, continuis cuniculis subrutum, umquam abrumpatur vel rescindatur; imo ad tuitionem indissolubilis vinculi Sacramenti matrimonii integerrime servan-

dam sollicite seipsum interponat ac, meliori quo fieri possit modo, amicam operam, iam ab initio discordiarum, periclitantibus coniugibus praestet contra vota doctrinasque, subdole vel etiam aperte christiano populo propinatas, divortio faventium ubique terrarum.

Praeter igitur alia, quae parochus vel quasi parochus vel sacerdos aut pius laicus delegatus praebere solet, sua ostendat ac inspiret nova argumenta magis opportuna et adamussim ad persuadendum accomodata, ut partes, remotis interea quibuslibet causis animorum dissociationis, mutua patientia, maxime necessaria ad reportandam divinam repromissionem, ad propositam redeant inter se reconciliationem.

Quae reconciliatio inter coniuges, maxime optanda et semper consulenda, non semel cogenda et fere imperanda videtur, prae oculis habitis tum ipsorum coniugum bono et susceptorum filiorum, tum familiarum pace, tum futura conditione prolis eiusque provvida et christiana educatione.

Merito animadvertitur in citata Appendice laudati Decreti S. C. de S. « Catholica doctrina »: « Hoc autem experimentum quocumque in stadio processus fieri praestat; quotiescumque sperare fas est experimento utiliter esse locum; neque ab hoc tentando iudicem nimis facile deterrere debet circumstantia, causam exinde in longius protrahi et sponsos aut horum alterum graviter defatigari, atque molestе hoc ferre, aut augeri expensas et incommoda ».

Curent itaque parochi animarumque pastores, ut pax, fiducia et animorum gratia inter sponsos, adiuvante Dei providentia, continuo crescant, floreant, regnent!

Quod si ipsi notitias habeant, vel charitatis intuitu animadvertant ortas esse et etiam perdurare graves discordias et difficultates plurimas in propriorum subditorum aut paroecianorum vita intima et familiari, absque mora et seposita qualibet levitate, prout prudentia, rectrix morum et decorum, singulis in casibus suggerit, offerant, apostolicum in modum, spiritualia remedia et supernaturales exhortationes ne apud ipsos perniciosus aperiatur aditus: *nunc* consensuali separationi ad tempus, *tunc* perpetuae, quae, postea, sensim sine sensu, cum tam ingenti damno, viam certe sternit de facto tentatae ac iuridicae procurandae, si fieri potest, plenae dissolutioni, sane quidem lugendae, totius maritalis consortii et ipsius sacramenti vinculi.

4. *De expostulato Parochi vel Eius, qui vice vel nomine parochi venit, debito responso ad normam exacto et Ordinario remittendo.*

Parochus vel quilibet ex speciali mandato deputatus ad exquisitas indagationes perficiendas, relatis ac perpensis Ordinarii lit-

teris simulque interim collectis informationibus aut notitiis quomodolibet ad rem spectantibus, declaret mentem, quam sibi efformavit procuravitque, atque sincere omnia referre ne omittat, quae adamussim sciverit, respectivo Ordinario, sive proprio sive alieno, ut Ille, pro suo conscientia graviter onerata, acceptis allatisve cognitionibus ad trutinam revocatis, iudicium sibi comparare, uti par est, valeat et proferre Cui interest num partis oratricis petitio benigne sit commentanda et an remittenda quoque deceat, uti mos est, ad Sanctae Sedis competens Romanum Dicasterium.

Laudatus inquisitor, iure officioque tenetur ut semper patefaciat num peculiaris et in quaestione positus supplex libelllus obiectiva simul et subiectiva nitatur veritate; imo peracta collatione ad invicem utriusque coniugis depositionum, fateri debet an et quomodo extraiudicialiter se adiuverit in peragendis et colligendis facti assertionibus, necnon quali via aut methodo et utrum per se ipsum vel per alium quemlibet, sacerdotem aut laicum, dummodo pium et fide dignum, audiverit et interrogaverit alteram in causa partem, quae, nisi fuerit et pisa oratrix, dici solet « conventa »; investiget insuper quos malit excutiendos, tam super facto quam super causis adsertae non consummationis matrimonii, adnotatis interim variis difficultatibus, quibus practice nullo modo occurri potest, nec per propositam et indicatam, firmo tamen vinculo restante, mutuam inter coniuges separationem, etiam forte perpetuam, nisi per illam unicam, qua consulto petitur, obtinendi processus instructionem et inde optatam gratiam dispensationis.

Quicumque fuerit deputatus mandatis Ordinarii quam plurimum satisfaciat oportet atque significet manifeste quando, a quibus et quibus in adiunctis noverit facti non consummationis circumstantias sive concordes sive discordes ac etiam quomodo se gesserit ut in casu affirmare valeat pro certo praetensum punctum praecipuum, forsan controversum, non peractae consummationis.

Addat autem ipsemet quibus mediis vel auxiliis conatus sit removere obstacula et fovere intermissam concordiam animorum, ita ut coniuges ad renovandam reconciliationem libenti corde devenissent, nisi omne ad rem experimentum, etiam repetitum, ob ipsorum coniugum pertinacitatem, in cassum semper cesserit.

Tandem candide, etsi demissa voce, suam profferat efformatam mentem aliorumque opinionem et speciatim referat num adsit iam diffusus quidam populi rumor vel peius iure meritoque timeatur exoriturum indicatum scandali periculum inter fideles, si *nunc*, data facultate, instruatur processus canonicus, *tunc*, futuro suo tempore, petita gratia dispensationis forte concessura sit.

Adiungat tamen, maxime si id opportunum et utilius existimaverit, alia elementa vel documenta, a seipso possessa, super qui-

bus notitias habere potuit, et ita iudicium suum recte efformare valuit.

Quae omnia colligere ne pigeat Ordinarii deputatum, quia verum robur afferunt ad tutionem rei veritatis et preces partis oratricis benigna tractione afficiunt pro ferendo iudicio super peragenda necessaria processus instructoria.

Adnexum informationibus, quae solent remitti, transmitti debet exemplar authenticum, prout iacet ex integro in regesto paroeciali vel quasi-paroeciali, testimonii celebrati matrimonii: quod valet pro subditis catholicis cuiuscumque dioecesis vel quasi-dioecesis; sed pro fidelibus Italicae regionis insularumque adiacentium requiritur testimonium etiam legale, prout relatum vel confectum habetur in pubblicis regestis status civilis.

Nec omittere licet, quinimmo alleganda et inserenda veniunt, si adsunt, cetera documenta, ad rei faciliorem probationem assequendam magnopere utilia, uti v. g. exemplar sententiae obtenti divortii civilis, si forsan intercesserit, medicales attestationes privatim traditae, epistulae amatoriae ad agitatae controversiae veritatem valde pertinentes aliaeque confessiones aut assertiones, maxime tempore minime suspecto acquisitae, ac peculiariter paroecialia vel non paroecialia testimonia rite exarata et subscripta de partium religiositate, probitate et credibilitate.

5. De Ordinarii informatione Romam transmittenda, singulis in casibus, ac de Ipsius voto pro facultate rite instruendi canonicum processum super rato obtinenda.

Antequam ad capitis conclusionem deveniatur, adhuc pauca explanentur opus est de Ordinarii praescripto voto una cum Ipsius sueta informatione Romam transmittenda.

Itaque Ordinarius, collectis extraiudicialibus actis et depositionibus, mature perpensa oratoris vel oratricis instantia simulque, quatenus necessarium iudicaverit, conlatis consiliis, votum suum promere ne dedignetur et informationem Romam transmittat unice prae oculis habens tum rei veritatem sanctitatemque magni Sacramenti tum bonum animarum earumque salutem ac maiorem Dei gloriam.

Satagat, si Ipsemet opportunum existimaverit, ut denuo tentetur fovenda et optabilis partium reconciliatio. At si retineat, maiorem in modum, non amplius sit persistendum, omnia sibi nota vel acquisita elementa pondere et mensura cribret, singula perpendat et, mentem suam adaperiens, absolutissimam informationem Sanctae Sedis sedulo transmittat.

Ad quam sibi parandam informationem, oportet ut ipse sagaciter colligat sufficientem, etsi brevem, factorum cognitionem. Quod

si suspensus haereat et dubitationem superare non valeat, novam, accurationem et personalem peragere potest excussionem vel indagationem super expositis et declaratis adiunctis; minime tamen quit instituere propriam et vere iudicialem inquisitionem partium vel testium, de cetero iam auditorum, ad modum ordinarii processus.

Insuper ad rei veritatem magis magisque in tuto ponendam et ad preces partis oratricis bene commendandas, Ordinarius investiget ut certior fiat, attente considerando supplicem libellum et peractas indagationes vel collectas depositiones assertionesve, num adserta non consummatio matrimonii aliquando tribuenda sit speciatim detestabili onanismi vitio.

Quo in casu, iam a limine, antequam res quomodocumque et quandocumque discutiatur aut definienda proponatur, petitio reicienda videtur.

Etsi ergo infelix pars oratrix instet iterumque oret, statim et sedulo serioque monenda est causam iam non posse institui vel ad ulteriora produci.

Exquisita enim probatio plena in re nullatenus haberi potest; vel, plerumque, factum adsertum et praetensum non consummationis, quamvis petentibus consciae, validi matrimonii, data intima natura maritalis copulae stricte vel late onanisticae, vel etiam una vice peractae, *et in hoc cardo rei potior vertitur,* difficillime, quinimo fere impossibile, probari potest et admitti.

Age quod facinus tam culposum et firmiter saneque arguendum, suam reapse meretur et gravem damnationem et salutarem punitionem.

Ad rem tamen legitur in n. II, § 2 « Reg. Serv. « S. C. de S.: « Quod si orator significet se criminis nullimode fuisse participem, sed depravatos alterius coniugis mores passum esse, aut, etiamsi fateatur se non esse innoxium, ostendat tamen hodie res eo devenisse ut coniugalis consortii instauratio non sit possibilis, ac sincere sit facti poenitens, et serio promittat se in altero coniugio forte inituro huismodi nefando facinori nullimode operam esse daturum, tunc iudex rem deferat ad H. S. C. ».

Quibus interea expositis et sedulo consideratis concludendum est quod si res, indigna quominus proponatur discutienda ob patratum delictum, certa aut sit aut probanda fieri speratur, variis adiunctis aut argumentis, sub iudice admitti potest. Non habita consummatio matrimonii, hac quoque de causa, adhuc aestimari potest sufficiens fundamentum, quo consulto perpenso, Ordinarius, sueta prudentia et conlatis melius consiliis, interim petere valeat instructionem ab Apostolica Sede ac stet pontificio responso vel mandato.

Etenim ipsa sola Sancta Sedes, dato onanismi vitii usu, quomodocumque inter coniuges peracto vel admisso, perpendere et iudicare potest num coniux, saltem, et maxime, innocens, vel aliquando etiam peccator, facti poenitens, sit gratia dignus ut processus instruatur vel ut gratia concedatur.

Repetita iuvant nec obliviscenda; sciant omnes et in memoriam revocent quod sive ante, sive durante, sive post processum super facto non consummationis matrimonii, si et quousque permanserit dubium vere solideque positivum quin possit excludi, etsi bona voluntate et fide, quaelibet fundata formido de opposito, standum sane est pro matrimonii consummatione; quippe quod matrimonium, etiam solummodo ratum, summo gaudet favore iuris ac semper praesumitur consummatum, nisi contrarium ex actis et probatis certo planeque emerserit et constiterit.

Josephus Casoria
a Studiis S. C. de Sacramentis.

DE VI PARTIS DISPOSITIVAE SENTENTIAE, ANTEQUAM SENTENTIA EXARETUR ET PUBLICETUR AD NORMAM JURIS.

Notum in iure est, in casu duplicis sententiae conformis, negativae, privari actorem iure ulterius agendi in appellationis gradu circa eamdem rem ob eamdem petendi causam ac inter easdem personas: ad normam, enim, can. 1902 n. I duplex sententia conformis constituit rem iudicatam.

Post autem duas sententias conformes, quamvis causae matrimoniales numquam transeant in rem iudicatam; iterum tamen appellare non licet, sed peti potest beneficium Novae Audientiae, vel nova propositio causae si casus sit de quo in can. 1989 et 1903 C. I. C.

Ad habendam, vero, conformitatem sententiarum requiritur et sufficit ut *pars dispositiva* utriusque sententiae *similis* ac *identica* sit, nempe ut in eadem causa et super eodem articulo seu capite feratur iudicium. Ita communiter Auctores [1].

Sed quaestio oriri potest super valore partis dispositivae abscissae ab integro textu sententiae. Quaeritur nempe: quam vim habet *pars dispositiva,* antequam sententia exaretur et publicetur ad normam iuris? [2].

Potest ne huiusmodi pars dispositiva tamquam non pronuntiata vel nulla retineri, si, v. gr. accedente Pontificia facultate, idem tribunal aucto iudicum numero, processum denuo instruit ac sententiam super eadem causa et super eodem capite profert?

Res, ut quisque facile percipit, non est levis momenti in se, et in praxi occurrere potest maximis cum consectariis.

In vetere iure locus non dabatur tali quaestioni cum sententia paucis verbis conciperetur, nec eius *pronunciatio* a *formali publicatione* distingueretur, quia sententia in *scriptis* redigebatur tantum in *parte dispositiva.*

Nostro iure introducta quidem est distinctio inter *dispositivum* et formalem *sententiae* publicationem; sed omnes tenent vim sententiae ontologice consistere in sola parte dispositiva, *quae, si aliunde valida, numquam retractari aut corrigi potest.*

---

[1] Cfr. Schmalzgrueber, lib. II, tit. 28, n. 5; Wernz-Vidal, *De processibus*, n. 592; Roberti, *De processibus*, v. II, n. 456; Cappello, *De matr.* n. 887.

[2] Cfr. can. 1873-1874.

« Sententiae vim — scribit Lega — totam consistere in parte dispositiva fluit ex intrinseca rei natura... » [3].

Cappello autem [4] ad quaestionem num Iudices recedere possint a parte dispositiva ante exaratam sententiam, sic pro sua claritate respondit: « Si pars dispositiva fuit subsignata a Iudicibus, non potest substantialiter mutari; idque, a fortiori, valet si cum partibus fuerit communicata ».

Et Manzini [5] haec docet: « *L'autorità della cosa giudicata pertanto è propria esclusivamente del dispositivo della sentenza* [6], il quale ove occorra può essere interpretato con la motivazione, ma non va confuso con essa. Soltanto nel dispositivo, invero, si raccolgono i presupposti (applicazione della legge al caso concreto) della detta autorità, cioè solo in esso si contiene il giudicato. Questa regola, che vale in ogni ordinamento processuale, è tanto più indiscutibile per il diritto processuale penale, perchè il dispositivo dev'essere letto in udienza, prima che la sentenza sia formata nel suo complesso, e *non può venire in alcun modo alterato o modificato* » [7]; et alio loco [8] praecitati operis, idem auctor scribit: « *Il dispositivo, nel quale si contiene essenzialmente il giudicato,* è l'applicazione del diritto obbiettivo al caso concreto...». Tandem Supremum Tribunal Cassationis civil. ital., 8 mart. 1930 [9] haec super dispositivo sententiae docebat: « Il dispositivo costituisce la vera sede di ogni giudicato, perchè contiene le statuizioni del giudice sulle quali soltanto può essere fondato un procedimento penale o civile. La sentenza dev'essere considerata bensì come un tutto organico perchè frutto di un procedimento logico che da determinate premesse trae determinate conclusioni; ma se in ossequio a tale principio può ritenersi lecito far ricorso alla motivazione della sentenza per chiarire il dispositivo di essa, quando presenti qualche manchevolezza o oscurità, quando insomma l'intelligenza di esso possa dar luogo a qualche dubbiezza, *non può certamente esser consentito, che in via di semplice interpretazione del giudicato, se ne faccia la critica e un riesame tale da portare ad una radicale trasformazione del dispositivo per se stesso chiaro* ».

Non inficior ex praescripto legis partem dispositivam, ad hoc ut suos effectus iuridicos pariat, muniri debere parte motiva seu

---

[3] *Comm. in Iudicia Ecclesiastica*, vol. II, p. 948, n. 7, ed. 1939.

[4] *Summa Iuris Canonici*, v. III, p. 260, n. 310, 3, ed. 1948.

[5] *Diritto processuale penale*, 2 ed., v. IV, n. 433.

[6] Cfr. G. Guarnieri, *Autorità della cosa giudicata penale nel giudizio civile*, Milano 1942, p. 53.

[7] Art. 472, 473 ult. capov. 476, n. 3, *Cod. proc. pen. it.*

[8] N. 457.

[9] *Giurispr. Ital.* I, I, 469.

ratiocinativa aliisque formalitatibus extrinsecis [10]; at huiusmodi elementa non attingunt ipsum iudicium aut substantiam sententiae, sed magis eius formam. Ceterum idem Codex, qui iubet has formalitates sententiae, non impedit partem dispositivam denunciari partibus, *seu publici iuris fieri antequam sententiae textus* exaretur ad normam cann. 1873-1874. Quin immo *Normae S. R. Rotae,* art. 142, § 2, et *Instructio S. C. de Disciplina Sacramentorum* diei 15 augusti 1936, art. 199, expressis verbis permittunt decisiones in sua parte dispositiva a Notario oretenus partibus communicari iisdemque decisionis exemplar tradi posse. Facta autem huiusmodi denunciatione seu communicatione, videtur applicanda norma a S. C. de Disciplina Sacramentorum in praecitata Instructione statuta, quod, videlicet: « Sententia definitiva, eaque valida, etsi iudices unanimiter consentiant, retractari non potest » [11].

Ad normam igitur horum principiorum, licet concedatur — et merito — causam aliquam, accedente Pontificia facultate, iterum videri posse in eodem tribunali, et quidem postquam solummodo pars dispositiva sententiae denunciata fuerit, haec tamen nova tractatio nonnisi appellatio concessa apud idem tribunal interpretanda est; vel, si vis, beneficium novae tractationis, salva tamen manente priore decisione. Secus admitteretur quod Summus Pontifex decisionem iudicialem, *alioquin validam,* nullam declarare possit etiam ad meritum quod spectat, quod nefas est dicere.

Nec dicas posse Supremum Legislatorem, vi cann. 80, 81, 84, irritam declarare latam decisionem, ita ut tribunal ad novam devenire possit sententiam tamquam in prima instantia.

Imprimis enim citati canones in Codice ponuntur sub titulo « De dispensationibus » atque de his a legitimis superioribus concedendis agunt, non, vero, de irritis declarandis actibus processualibus de se validis.

Insuper, si hoc verum esset, si scil. vi praecitatorum canonum potestas a lege dispensandi vel relaxandi significaret quoque facultatem irritas declarandi decisiones iudiciales alioquin validas, sequeretur aliquid absurdum, posse scil. Supremam Auctoritatem irritam declarare etiam aliquam sententiam *in forma iuris redactam.* Et quis hoc tenere ac defendere potest?

Subsumes forsan posse potestatem dispensandi applicari parti *dispositivae* tantum, quia haec avulsa a sententia nulla est, non, vero, applicari integrae sententiae, quia haec valida est.

---

[10] Cfr. cann. 1873-1874.

[11] Art. 205.

Qui hoc modo ratiocinatur, admittit rem intellectu difficilem. Etenim, si sola pars dispositiva, absque *textu sententiae*, de se nulla est, ad quid et in quo dispensatio intervenit? ad nullum declarandum actum iam iuridice infectum?...

Sed praestat obiectionem ponere in sua vera forma, nempe independenter ab interventu dispensationis Superioris.

Difficultas, summatim, haec est: pars dispositiva in tantum extat in quantum adest sententia: avulsa a sententia non constituit sententiam.

Sed quaestio non est haec; non agitur enim de statuenda differentia inter partem dispositivam et integram sententiam; e contra, quaestio unice vertit super *vim* partis dispositivae. Quod si haec sistere nequit avulsa a sententia, non exinde sequitur nullius esse valoris, sed potius videndum quid faciendum ad hoc ut iuridicos pariat effectus.

Et remedium non deest, immo necessarium adhibendum, videlicet: sententiam complere argumentationibus suffultam in iure et in facto aliisque legis formalitatibus. Ad quod cogendus est vel iudex, qui dispositivum emisit, vel alius, qui eius vices gerit.

Aegidius Del Corpo
Defensor Vinculi Subst. apud S. R. Rotam.

JUS ECCLESIASTICUM

ITALIA

IL NUOVO ARTICOLO 72 DEL CODICE DI PROCEDURA CIVILE

Il compianto On. Grassi, Ministro di Grazia e Giustizia, presentava al Senato, nella seduta del 10 Dicembre 1948, un disegno di legge per la modifica dell'art. 72 c. p. c., stabilendo che il P. M. nei casi in cui deve intervenire obbligatoriamente, può proporre impugnazioni contro le sentenze.

Il 15 Marzo del 1950 nella seconda relazione permanente (Giustizia ed Autorizzazione a procedere) si avevano in merito due relazioni: quella del Senatore Boeri per la minoranza, che proponeva al Senato la reizione del disegno di legge e quella del Sen. Romano per la maggioranza, che ne sollecitava e motivava l'approvazione proponendo con alcune modifiche [1].

DISEGNO DI LEGGE Testo del Ministero	DISEGNO DI LEGGE Testo proposto dalla maggioranza della Commissione
Articolo unico.	*Articolo unico.*
L'articolo 72 del Codice di procedura civile è sostituito dal seguente:	*Identico.*
« Il Pubblico Ministero, che interviene nelle cause che avrebbe potuto proporre, ha gli stessi poteri che competono alle parti e li esercita nelle forme che la legge stabilisce per queste ultime.	*Identico.*
« Negli altri casi di intervento previsti nell'articolo 70,	« Negli altri casi di intervento previsti nell'articolo 70,

[1] Cfr. Res. Somm. n. 166-A-pp. 1-9.

tranne che in quello di cui al secondo comma, il Pubblico Ministero può produrre documenti, dedurre prove, prendere conclusioni nei limiti delle domande proposte dalle parti e può anche proporre impugnazioni contro le sentenze. La facoltà di impugnare la sentenza spetta tanto al Pubblico Ministero presso il giudice che ha pronunziato la sentenza quanto al Pubblico Ministero presso il giudice superiore. Così per l'uno come per l'altro il termine per le impugnazioni, che secondo l'articolo 326 avrebbe decorrenza dalla notificazione della sentenza, decorre dalla pubblicazione di questa.

« La facoltà di impugnare la sentenza non compete al Publico Ministero nelle cause di separazione personale dei coniugi, nè in quei casi in cui il suo intervento sia previsto da leggi diverse dal Codice di procedura civile, quando nelle leggi medesime non sia disposto altrimenti. Restando salve in ogni caso le disposizioni del primo comma di questo articolo e dell'articolo 397 ».

tranne che nelle cause davanti alla Corte di cassazione, il Pubblico Ministero può produrre documenti, dedurre prove, prendere conclusioni nei limiti delle domande proposte dalle parti.

« Nelle cause matrimoniali, escluse quelle di separazione personale dei coniugi, il Pubblico Ministero può proporre impugnazione contro le sentenze.

« La facoltà di impugnazione spetta al Pubblico Ministero anche contro le sentenze di delibazione della sentenza straniera di annullamento o di scioglimento del matrimonio. In questi ultimi casi il Pubblico Ministero può altresì domandare il riesame del merito a norma dell'articolo 798.

« Nelle ipotesi prevedute nei commi 3° e 4°, la facoltà di impugnazione spetta tanto al Pubblico Ministero presso il giudice che ha pronunziato la sentenza quanto a quello presso il giudice competente a decidere sull'impugnazione.

« Il termine decorre dalla comunicazione della sentenza a norma dell'articolo 133.

Restano salve le disposizioni dell'articolo 397 ».

Nella seduta del 23 febbraio il disegno di legge fu approvato nel testo proposto dalla maggioranza.

Nella seduta del 5 maggio, apertasi la discussione, il Presidente avverte che è stata presentata dal senatore Proli una richiesta di sospensiva sul disegno di legge all'ordine del giorno, in attesa che vengano in discussione i disegni di legge relativi alla riforma dell'ordinamento giudiziario e al nuovo Codice di procedura civile.

PROLI: Illustrando la domanda di sospensiva da lui presentata, rileva che la pregiudiziale che egli solleva in questa sede è la stessa che sollevò nella seduta del 23 febbraio ultimo scorso dinanzi alla 2ª Commissione permanente, pregiudiziale la quale risponde ad una ragione di assoluta ed urgente necessità.

Il disegno di legge in parola è di apparenza modesta, ma contiene una sostanza imponente, perchè coinvolge ardui problemi di diritto processuale interno ed internazionale. Appare logica, quindi, la proposta di sospensiva, in attesa che vengano in discussione i disegni di legge relativi all'ordinamento giudiziario ed al Codice di procedura civile.

La pregiudiziale da lui sollevata fu vivamente sentita nella sua importanza dai membri della 2ª Commissione permanente, tanto che su di essa si ebbe una votazione che diede tredici voti contrari alla sospensiva, nove favorevoli ed uno astenuto. Per tali motivi il Gruppo al quale appartiene lo ha incaricato di riproporre la pregiudiziale in Assemblea.

I motivi che sono alla base della sua richiesta permangono; se ne è aggiunto, anzi, uno ancora più grave, costituito dall'emendamento proposto dalla maggioranza della Commissione di giustizia, il quale modifica sostanzialmente il testo ministeriale del disegno di legge.

E', anzitutto, poco serio ed è nocivo il metodo di frazionare l'attività legislativa staccando dall'esame complessivo di una data materia o di un Codice quello di singole disposizioni; soprattutto perchè tale metodo disorienta la coscienza giuridica del Paese.

Ricorda in proposito, che già il disegno di legge 5 maggio 1948, n. 483, anche esso di iniziativa ministeriale, comportante modificazioni ed aggiunte ad alcune norme del Codice di procedura civile (approvato dal Senato) provocò dure critiche da parte di numerosi consigli forensi e di autorevoli magistrati. Tutte le censure furono ispirate dalla considerazione d'ordine generale precedentemente fatta presente.

D'altra parte, se si volesse perseguire tale sistema di frazionamento legislativo, si potrebbero presentare tanti disegni di legge per quanti sono gli articoli del Codice di procedura civile, con la conseguenza che tale metodo sarebbe senza dubbio dalla maggioranza tacciato di sabotaggio.

Dopo aver fatto rilevare che sulla materia del disegno di legge in discussione non si è voluto neppure attendere che si esprimesse l'avviso del prossimo Consiglio nazionale forense, osserva che nessuna urgenza esiste che giustifichi una immediata discussione e votazione del disegno di legge, mentre tanti altri progetti importanti e vitali per il Paese attendono ancora l'approvazione del Parlamento.

Nè l'urgenza può desumersi dal fatto che esiste un conflitto in atto, in materia di delibazione di sentenze straniere di annullamento matrimoniale, fra le Corti di merito e la Suprema Corte di Cassazione; poichè non è affatto detto che le Corti di merito debbano sentirsi vincolate dal parere della Suprema Corte, specie in materia, come questa, tanto delicata. I giudici sono assolutamente liberi nell'espressione dei loro deliberati, essendo solo costituzionalmente vincolati all'obbligo di legittimamente motivarli. Anzi, il dissenso tra le Corti giudicanti di per sè stesso è motivo di progresso degli istituti giuridici.

AZARA: Ricorda che analoga proposta di sospensiva il senatore Proli fece in sede di Commissione e che fu egli personalmente ad opporvisi. Senza entrare nel merito del disegno di legge, fa presente che la sua urgenza risulterà nel corso della discussione che dovrà aver luogo su una materia così delicata. Pur riconoscendo non essere opportuno fare una legislazione spezzettata, richiama l'attenzione del Senato sull'importanza di modificare l'attuale articolo 72, dichiarandosi contrario alla proposta di sospensiva.

ANFOSSI: Premesso di parlare anche a nome del suo Gruppo, si dichiara favorevole alla sospensiva, associandosi alla considerazione che la materia in esame dovrà essere discussa in sede di riforma del Codice di procedura civile. A suo avviso, infatti, la modifica di un articolo del Codice può essere richiesta soltanto da una giurisprudenza costante, o quando ne sussista manifestamente la necessità. Per l'attuale caso, invece, previsto nel Codice di procedura civile approvato soltanto otto anni fa, non sono ancora sorti fatti tali da giustificare la richiesta modifica.

ZOLI: Premettendo che, a suo parere, occorre guardare soprattutto la sostanza delle cose, ricorda come l'articolo 70 del Codice di procedura civile preveda già numerosi casi in cui il Pubblico Ministero può intervenire come parte.

La reale portata del provvedimento è nel desiderio di sancire che il Pubblico Ministero abbia facoltà di intervenire come parte nelle cause matrimoniali, escluse quelle di separazione personale e, in particolare, comprese le sentenze di delibazione di sentenze straniere di annullamento o di scioglimento di matrimonio.

S'intende, in realtà, evitare che possa avere effetto un giudizio in cui le parti abbiano commesso frode alla legge e alla Costituzione.

Afferma che i poteri del Pubblico Ministero restano inalterati, con una semplice estensione del campo di intervento, anche questa di piccola portata. Non è perciò necessario attendere la riforma del Codice di procedura civile, perchè non si incide sull'ordinamento di detta procedura.

SANNA RANDACCIO: Si dichiara d'accordo col senatore Zoli sulla necessità di porre riparo alla frode che viene esercitata da cittadini italiani che ottengono sentenze straniere con mezzi illeciti, ma afferma che non si deve porre riparo ad una ingiustizia commettendo un grave errore politico, quale sarebbe quello di immettere il potere politico in una materia che è di esclusiva competenza dell'ordinamento giudiziario.

Ricorda, comunque, che esiste l'articolo 397 del Codice di procedura civile, che dà facoltà al Pubblico Ministero d'intervenire in quelle cause in cui si abbia collusione fra le parti. L'esistenza di questo articolo distrugge le ragioni d'urgenza cui accennava il senatore Zoli.

Non ponendosi perciò l'urgenza sul terreno giuridico, bisogna concludere che essa è soltanto di natura politica.

La realtà è che, come la stessa relazione di maggioranza afferma, esiste una giurisprudenza di una Corte d'Appello che si vuol combattere e, per combatterla, si vuole introdurre nel processo civile la modifica attualmente in discussione. In questo modo, mentre ci si accinge a migliorare l'istituto del Pubblico Ministero, ci si avventurerebbe a toccare il punto più sensibile riguardante la posizione di tale magistrato, nominalmente indipendente, ma di fatto alle dipendenze del potere esecutivo.

Quanto è venuto esponendo, giustifica pienamente il senso di

perplessità, che ha indotto diverse parti dell'Assemblea a chiedere la sospensiva, a cui favore si pronuncia.

ORLANDO: La frase da lui pronunciata in Commissione e ricordata in Assemblea dal senatore Proli condensa tutte le ragioni che lo inducono a sostenere la sospensiva.

Lo zelo, del resto, con cui alcuni oratori si sono affannati ad invocare pretesi motivi di urgenza, ingenera il sospetto che in un campo, dove dovrebbero valere unicamente criteri giuridici, prevalgano, invece, ragioni di natura politica.

Comunque, tra i motivi di carattere puramente formale, che consigliano di addivenire ad una sospensiva del presente disegno di legge, ve ne sono due che indicherà partitamente.

C'è da ricordare, anzitutto, che è in corso un progetto per la riforma del Codice di procedura civile, riforma sommamente utile per portare rimedio alla disfunzione che oggi si verifica nell'amministrazione della giustizia. Sotto questo riguardo, è evidente, quindi, che appare più opportuno affrettare i lavori relativi all'intera legge procedurale vigente e rimandare la discussione sulle modificazioni dell'articolo 72 a quella sede.

Occorre, in secondo luogo, esaminare l'eventualità che le modifiche che si vorrebbero apportare all'articolo 72 non urtino contro accordi internazionali ai quali l'Italia ha aderito.

Un altro motivo, poi, che dovrebbe consigliare il rinvio della discussione del disegno di legge è che, in sostanza, attraverso le modifiche proposte dalla maggioranza, si viene a sconvolgere un principio fondamentale del nostro diritto processuale, secondo il quale nel campo processuale civile — dove, cioè, non esiste un interesse pubblico — lo Stato non può intervenire come parte.

BOERI, *relatore di minoranza*: Afferma che la perplessità di quanti sono favorevoli alla sospensiva deriva soprattutto dalla norma dell'ordinamento giudiziario che fa del Pubblico Ministero un organo esecutivo, funzionante sotto il controllo e la direzione del Ministro Guardasigilli. Il progetto in esame è ispirato a concedere maggiori poteri al Pubblico Ministero, onde tale perplessità non può che crescere.

Sarebbe bene pertanto sospendere e vedere se il futuro ordinamento giudiziario conserverà al Pubblico Ministero la figura di rappresentante del potere esecutivo.

Occorre poi tener conto del Codice di procedura civile, in quanto il progetto in esame rovescia tutta la struttura della funzione

del Pubblico Ministero e gli dà facoltà di disporre dei diritti delle parti. Il progetto, inoltre, non si preoccupa di coordinare le nuove facoltà di impugnativa con quelle già previste dal Codice di procedura civile, cosicchè l'istituto della revocazione risulta doppiamente disciplinato.

PICCIONI, *Ministro di grazia e giustizia:* Premesso che nel suo intervento dovrà necessariamente sfiorare il merito della questione di cui si dibatte, invita il Senato a respingere la proposta di sospensiva del senatore Proli.

Si è motivata, anzitutto, la richiesta di sospensiva affermando che è necessario non indulgere al costume di frammentare le eventuali riforme di singoli istituti o norme dei Codici. Il principio, teoricamente esatto, non può trovare rigorosa applicazione nella pratica, poichè l'esperienza legislativa quotidiana ha dimostrato spesso la necessità di riformare norme o istituti desueti o perenti, senza che per ciò sia necessario riproporre l'esame di tutti i Codici nel loro complesso per dare ad essi un diverso orientamento. Oltre tutto, un simile presupposto implicherebbe una pregiudiziale sfiducia nei confronti dell'azione legislativa del Parlamento.

Altro motivo della proposta di sospensiva è quello che postula il coordinamento della materia dell'articolo 72 con le norme del nuovo ordinamento giudiziario, nonchè del Codice di procedura civile. L'esigenza proposta pecca per eccesso, perchè non si può pretendere che ogni disposizione particolare di legge debba trovare necessario collocamento in un quadro più ampio.

Eliminati così i primi due motivi, posti a base della richiesta di sospensiva, rimarrebbe solo l'obiezione di coloro i quali sostengono che non esiste alcuna urgenza di investire il Senato dell'esame del disegno di legge.

La questione è mal posta. Non si tratta di accertare se esista o meno l'urgenza di discutere il problema; si tratta di accertare, bensì, se il Ministro Guardasigilli, quando ha presentato al Parlamento il disegno di legge, aveva dinanzi a sè una condizione di fatti giudiziari tale che lo sollecitassero ad investire il Parlamento della questione. Ora, nessuno può contestare che esista oggi nel Paese una situazione giudiziaria abnorme, rispetto alla delibazione di sentenze straniere in materia matrimoniale, che esige un intervento legislativo per la salvaguardia dell'ordinamento familiare italiano.

Questa fu e rimane la ragione determinante del disegno di legge. Non v'è bisogno di dettagliare cifre e fatti in proposito, quando tutta la stampa e le cronache hanno dato ampia e colorita in-

formazione di una situazione abnorme esistente nel Paese. Dal giorno di presentazione del disegno di legge, avvenuta il 10 dicembre 1948, le condizioni generali non sono migliorate, bensì peggiorate.

1) la commune peut légalement décider la détermination de la valeur locative du presbytère en fonction de la « surface corrigée » prévue par la loi du 1er septembre 1948. Ce système n'appelle point l'approbation préfectorale prévue par la loi du 2 janvier 1907.

2) la commune peut tout aussi légalement appliquer le système de l'augmentation forfaitaire du prix du loyer (33% par semestre jusqu'à un maximum de 400% dans cinq ans) par référence au prix pratiqué à la date du 1er juillet 1948. Les conventions passées à cet effet par les communes avec les autorités ecclésiastiques échappent à l'autorité de tutelle.

« En résumé, selon l'avis du Conseil d'Etat, il est donc aussi légal pour une commune louant par exemple actuellement 300 fr. par an un presbytère de 12 pièces à un ministre du culte, d'appliquer le système de la « surface corrigée lequel pourrait, p. ex., arriver à un montant de loyer de 30.000 fr. par an que de conclure avec l'autorité ecclésiastique une convention pour l'augmentation forfaitaire du prix du loyer, aboutissant dans quatre ans à un montant maximum de 1200 fr. par an. ».

3) la commune peut aussi conclure un nouveau bail avec l'autorité ecclésiastique, en sorte que p. ex., le loyer couvre seulement au minimum les charges que comporte pour la commune la propriété du presbytère. Un tel bail doit être soumis à l'approbation du préfet: le ministre estime qu'un tel contrat devrait être approuvé « dès lors que le montant du loyer se situe entre la valeur résultant de l'augmentation forfaitaire et celle calculée selon la surface corrigée ».

JEAN BERNHARD

RECENSIONES

SACRAE ROMANAE ROTAE DECISIONES SEU SENTENTIAE quae prodierunt anno 1940 cura eiusdem S. Tribunalis editae, vol. XXXII, Typis Polyglottis vaticanis, 1949 (*Continuatio*: cfr. fasc. praecedentem).

DE CAPITE CONDITIONIS LICITAE

Loquímur heic de conditionibus quae nec turpes sunt nec contrariae matrimonii substantiae. Has enim jam vidimus sub capitibus exclusorum bonorum prolis, fidei, sacramenti.

Decisiones omnes quae tales conditiones respiciunt, numero quinque, examinarunt conditiones de praeterito vel de praesenti, a. n. 4° canonis 1092 praevisas.

Prima, seu Decisio XVII coram E. P. D. Grazioli, quae una affirmativa est, respicit conditionem a muliere appositam quod vir a vitio aromatum perfecte consanuerit. Habentur adsuetae affirmationes in juris expositione, praesertim quoad criteria ad discernendam veram conditionem matrimoniali consensui appositam, quae nisi verificetur, eundem consensum tamquam non praestitum atque matrimonium nullum reddit, a conditione apposita mero proposito nubendi, quae, si post investigationes praesponsalicias verificata retineatur (etsi erronne), consensui puro seu absoluto locum cedit.

Recensita criteria sunt: momentum seu pretium, quod pro contrahente habet circumstantia quam in conditionem se evexisse dicat: dubitationes quae circa circumstantiam contrahens habuerit, si non fuerunt leves fugacesve, sed locum dederut investigationibus iteratis etiam post inita sponsalia (pp. 167-168 nn. 5-6).

Ad probandam veram conditionem adducitur etiam ratio qua contrahens se gerit « simul ac animadverterit conditionem, quam ipse a se appositam asserit, adimpletam seu verificatam non fuisse. Quodsi constet diu et pacifice ipsum cum comparte vivere perrexisse, vix admitti potest verae conditionis existentia, nisi validae adducantur causae ob quas discedere ipse statim non potuerit. Graves namque momenti circumstantiae dari quandoque possunt, quae impediant quominus ad separationem statim deveniatur » (p. 169 n. 8).

Non nocent vicissim consummatio matrimonii (ibid.) ac dilata causae introductio super matrimonii nullitate, eo quod - explicat Sententia - pars non tenetur cognoscere ex vitiato suo consensu consequi vinculi invaliditatem (pp. 169-170 n. 9).

Quoad autem non - revocationem conditionis, provocat Sententia ad celeberrimam Versalien. decisam a speciali Commissione Cardinalium die 2 augusti 1918, qua constabilitum est supervenientem erratam certitudinem de verificata conditione non secum ferre de se revocationem conditionis semel appositae (p. 169 n. 7).

Altera Decisio, seu XXII, coram R. P. D. Wynen, speciali mentione digna videtur ob acutam investigationem psychologicam circa mentem eius qui qualitatem peculiarem in comparte adesse exoptat, accurate distinctis binis actibus voluntatis: proposito contrahendi ac consensu matrimoniali. Etiam si qualitas exoptata sit magni pretii, contrahens - ita ratiocinatur Sententia - antequam spondeat futurum matrimonium investigat de existentia illius qualitatis; si informationes bonas accipit, sibi proponit sacrum inire foedus et statim vel brevi post alteri parti dat promissionem de futuro matrimonio. Hoc in casu conditio non ponitur, quia ille ante acceptas informationes nullum praestat consensum, imo incertus est an contrahat necne; post eas, promittit absolute se esse contracturum nec ulli conditioni cogitare potest quia nullum de exoptata qualitate fovet dubium: ac pariter absolutus erit consensus matrimonialis. Si autem informationes contrariae sunt, ipse renuntiat matrimonio (p. 227 n. 2).

Si is qui contraxit absolute quia credidit ex assumptis informationibus adesse qualitatem optatam, detegit post matrimonium qualitatem deesse, valide contraxit, etsi cum errore. (p. 228 n. 4).

Juxta hanc Sententiam, oportet igitur ut dubia in mente contrahentis permaneant post investigationes institutas et praecipue post promissionem matrimonii datam; ac cum tali animo ipse sibi proponat aliisque manifestet: « Contraho, dummodo altera pars qualitate, sub formula sine qua non postulata, reapse praedita sit » (p. 228 n. 3).

Ac concludit Sententia: « Si defectus dubii appositonem conditionis jam ab initio impedit, a fortiori absentia cogitationis circa eam rem retinet ab apponenda conditione in ipsa celebratione matrimonii » (p. 228 n. 4).

In casu, agebatur de praetensa conditione a sponsa apposita de viri immunitate a morbis venereis. Quae conditio exclusa quidem est a Sententia praecipue quia mulier tempore sponsalia antecedente et subsequente nullum habuit dubium de tali immunitate; et etiam quia ipsa post detectum viri morbum post nuptias tres annos cum eo maritaliter vivere perrexit.

Tertia de re Decisio, seu XXXVI coram E. P. D. Grazioli, respicit casum conditionis potestativae seu cuius verificatio ab alterius partis potestate pendet. Quae conditio revera de futuro esset, sed in nostro foro interpretationem haud litteralem recipit ac potius sumitur tamquam conditio de sincera promissione praesenti compartis praestandi rem futuram a contrahente optatam. Qua in re Sententia refert aliam latam in causa Engolismen. coram E. P. D. Jullien diei 24 nov. 1928 (Vol. XX pag. 453).

In casu agebatur de asserta conditione a viro apposita quod mulier post nuptias habitationem institueret in domo viri ac huius parentum. Judices non probatam declararunt tum appositionem verae conditionis, tum insinceritatem mulieris in promittenda futura instauratione habitationis apud virum.

Quarta Decisio, (LXXIII, coram E. P. D. Jullien) respicit conditio-

nem quam vir apposuisset quod sponsa reapse praegnans esset. Brevius Sententia eadem exponit principia quae in Decisione XXII coram R. P. D. Wynen vidimus (pp. 804-805 nn. 2-3). In facto Judices retinuerunt sponsam reapse gravidam non fuisse ideoque virum dolo malo in errorem traxisse. Admiserunt etiam virum verba pronuntiasse quae conditionem materialiter significarent, sed, re intime perscrutata, negarunt agi de vera propriaque conditione ex modo sese gerendi actoris tum ante tum post nuptiarum celebrationem.

Quinta Decisio. quae est LXXVI, coram R. P. D. Wynen, similes animadversiones continet ac quae leguntur in jam citata XXII eiusdem Ponentis, necnon in XXXVI coram Grazioli. In facto conditio, quae a sponsa apposita asserebatur quod vir amasiam ad omne tempus dereliquerit, declarata est non probata sive quoad appositionem sive quoad eius inexistentiam, quum vir non visus sit mendax in promissione deserendi amasiam, etsi postea, ob debilitatem suae indolis, non potuit promissum servare (pp. 835-837 n. 4, pp. 842-843 n. 10).

DE CAPITE AMENTIAE

Binae Sententiae in hoc themate latae, affirmativae ambae, nihil notatu dignum praeseferunt in juridicorum principiorum expositione, dum respiciunt factorum species haud communes.

Prior, seu Decisio VIII, coram R. P. D. Teodori, respicit casum mulieris psychopathicae « con un'esaltazione morbosa sessuale così spiccata, da essere incapace di resistere agli stimoli sessuali anche suscitati occasionalmente dal primo uomo incontrato » (p. 88 n. 14). Ageretur ideo non de vera amentia, sed de dementia eo sensu qui a traditionali sumitur Jurisprudentia, idest de insania quoad unum vel alterum punctum: in casu in re herotica, nam « la massa delle sue (mulieris) sensazioni erotico-sentimentali erompe dalle sorgenti della sua sensibilità morbosa e si impone strapotente ai centri psichici che, invece di comandare ai sensi, sono da questi completamente comandati e sopraffatti » (p. 89 n. 14). Unde merito Judices provocarunt ad vetus principium: « quodsi hi (dementes) circa rem matrimonialem insaniant, tunc quoad eamdem amentibus aequiparantur » (p. 83 n. 3). Neque omiserunt citare sententiam Divi Thomae: « Major discretio rationis exigitur ad providendum in futurum quam ad consentiendum in actum praesentem: et ideo ante potest homo peccare mortaliter, quam sese possit obligare ad aliquid (Dist. XXVII, qu. 2 art. 2 ad II). Quam Sententiam iidem Judices acceptarunt sic eam complentes et illustrantes: « Eo vel magis quod juxta omnes ad matrimonium rite ineundum, seu ad obligationem quae est servitus totius vitae, major quam in ceteris negotiis requiritur consilii et arbitrii libertas. Unde nil mirum si quis appareat adhuc sua posse apte agere et ordinare negotia, qui tamen ad matrimonium censeri incapax debeat » (p. 83 n. 5).

Decisio altera, quae est LVI, coram R. P. D. Caiazzo, respicit virum

laborantem psychosi maniaco-depressiva; qui morbus accessus alternos depressionis et excitationis invicem succedentibus cum intervallis bonae valetudinis praebet. Solum durantibus accessibus tollitur capacitas intelligendi et volendi. In casu, vir judicatus quidem est nuptias inivisse durante accessu maniacali, unde post viginti quinque vix dies in amentium nosocomium detrudi debuerit (pp. 611 ss).

DE CAPITE IMPOTENTIAE VIRI

Ex quatuor Decisionibus hoc super capite latis, duae respiciunt impotentiam functionalem, duae vero illam peculiarem formam impotentiae instrumentalis quae in incapacitate effundendi verum virile semen seu in testiculis elaboratum consistit.

Temporis ordine, a) decisio XIII coram R. P. D. Wynen, quae quidem huiusmodi mox visam formam respicit, notatu digna est ob longam et doctissimam expositionem tum juris ad rem tum novissimarum animadversionum scientificarum quoad morbos talem impotentiam determinantes, potissimum quod spectat ad possibilem eiusdem impotentiae sanationem. Reapse Judices retinuerunt sanationem istam in casu non omnino impossiblem ideoque, denegata matrimonii nullitate, consuluerunt Summo Pontifici dissolutionem vinculi utpote non consummati. Notandum tamen est agi de facti specie haud communi, quia orchites, quae impotentiam produxit, determinata erat a bacillo coli (pp. 119 ss.).

b) Decisio XV, coram E. P. D. Jullien, respiciens casum impotentiae functionalis ex vitio sodomitico. Quamvis turpe istud vitium recenseat inter possibiles causas impotentiae viri, negat Sententia posse inversiones istas haberi tamquam constantem effectum instinctus alicuis ingeniti, seu impulsus physici, morbosi, invincibilis, ideoque perpetui; atque cavet abstinendum esse ab omni generali judicio, singulos sedulo perpendendo casus (p. 143 n. 4). Insistit quoque Sententia in generica et pluries a Jurisprudentia affirmata difficultate probandi perpetuitatem impotentiae functionalis (ibid.), atque in facto concludit non constare de nullitate matrimonii ex impotentia nec de eiusdem matrimonii inconsummatione.

c) Decisio XXIX coram R. D. Wynen, casum similem superiori spectat, in quo tamen, etsi edictum est non constare de nullitate ex impotentia, consilium datum est Summo Pontifici dispensandi super rato (p. 309 ss.).

d) Eumdem exitum consequuta est causa definita sententia LIX coram R. P. D. Teodori, quamvis ageretur de jam viso defectu seminis ob orchitem blenorrhagicam, qui morbus est longe communior inter eos qui huiusmodi virilem impotentiam producunt (pp. 649 ss).

DE CAPITE IMPOTENTIAE MULIERIS

In binis Decisionibus II et X, respective coram R. P. D. Quattrocolo et R. P. D. Heard, nihil novum vel peculiare invenitur. Prior est casus vaginismi, qui declaratus est non probatus (pp. 24 ss.).

In altera causa actor asseruit tum vaginismum, qui functionalem impotentiam constituit, tum vitium anatomicum eiusdem mulieris seu impotentiam instrumentalem, in impenetrabilitate vaginae consistentem. Neutrum tamen probatum est. Periti solummodo uterum rudimentalem reppererunt atque ovaria non evoluta: ast haec vitia vel etiam defectus organorum post-vaginalium irrelevantes declarati sunt a Sententia; quae confirmavit Rotalem Jurisprudentiam ad rem sequentibus verbis in parte in jure: « Ad copulam habendam requiritur penetratio vaginae muliebris seminisque virilis intra eamdem immissio. Quod etiam sufficit; nam copula ex parte ipsius actus inspicienda est, abstractione facta a reliquis organis, quae praeter copulam ad foecundationem requiruntur, ut clare innuitur per verba « per se aptos » in citato canone relata et ex paragrapho tertia can. 1068, ubi edicitur sterilitatem matrimonium non dirimere. Jamvero in actu copulae mulier passivam habet partem. Ipsius est receptaculum praebere semini per penetrationem erecti membri virilis ibi depositi, quod si facere potest, impotens non est. Antiqui quidem censebant, ut coniuges fierent una caro seu copula perfecta haberetur, necessariam esse « commixtionem seminum », uti dicebant, emissionem liquoris, quae solet haberi ex parte mulieris in copula, pro seminatione foeminea erronee sumentes; quae emissio non sempre habetur nec requiritur etsi per eam copula facilior reddatur ». Haec postrema animadversio certe vera est: superiores autem non sunt pacificae apud Doctores et Medicos. Ipsa ceterum sententia provocat ad dubium: quo extante, « pro validis nuptiis pronuntiandum est » (p. 103 n. 2).

DE CAPITE DEFECTUS FORMAE SUBSTANTIALIS

Quattuor Decisiones quae in hoc themate latae sunt, valde differunt inter se etiam quod spectat ad jus. Ideo singillatim de eis dicemus.

Decisio XX, coram R. P. D. Wynen, respicit casum qui hodie vix in foro reproduci posset, quum agatur de matrimonio inito ante promulgationem Decreti « Ne temere ». Norma ideo juris de qua disceptatur est caput « Tametsi » Concilii Tridentini, quod, uti notum est, praecipiebat matrimonium celebrari coram parocho proprio, id est parocho domicilii vel quasi-domicilii alterutrius sponsi, etiam extra territorium paroeciae. Aliis verbis, jurisdictio, quoad matrimoniorum celebrationem, erat personalis, dum Decretum « Ne temere » instituit in re jurisdictionem mere territorialem, quam et Codex amplexus est. In facto, Judices declararunt non constare de matrimonii nullitate quia, dum admiserunt quoad virum huius parochum nec adstitisse matrimonio nec delegationem dedisse, quoad mulierem retinuerunt eam, utpote aetate minorem, primum, habuisse domicilium legale apud patrem ac deinceps amisisse quum ille id amisit et factus est vagus. Atqui, utpote vaga, mulier matrimonium valide contrahere poterat coram Ordinario vel Parocho loci (pp. 203 ss.).

Decisio XXX, coram R. P. D. Canestri, casum satis rarum decisit, a nova tamen lege rectum, et quidem a canone 1098 C. J. C. qui a gene-

rali norma canonis 1094 binas statuit exceptiones, validas agnoscens nuptias contractas coram solis testibus si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus, 1° in mortis periculo, 2° si prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam.

Agebatur in casu de viro catholico captivo in Russia, qui cum muliere protestanti in illa natione primum ritu civili sovietico dein ritu protestantico sese iunxit. Sententia declaravit nullitatem matrimonii quia de facto constitit temporibus utriusque ritus in locis ubi celebrati illi sunt, adfuisse sacerdotes catholicos jurisdictione pollentes ad excipiendum fidelium matrimonialem consensum necessaria (pp. 323 ss.).

Decisio XXXV, coram R. P. D. Teodori, respicit causam, pluribus aliis nullitatis capitibus innixam, in qua assertum est unum tantum testem in celebrandis nuptiis adhibitum esse, contra praeceptum canonis 1094. In jure exponit Sententia normas communiter receptas circa testium assistentiam: « Praesentia testium, juxta omnes, debet esse 1° *simultanea* cum teste, qui qualificatus vel autorizabilis dicitur, 2° *moralis* qua de contrahentium personis et de inito inter eas contractu postea certo testari possint, 3° *physica,* ita ut testis de visu vel auditu sit, 4° *formalis* tandem, adeo ut fuerint aliquo modo qua testes adhibiti. Satis tamen est si partes eos implicite voluerint esse testes: huic ergo conditioni satis est factum, dummodo testimonium certum duorum ex adstantibus haberi possit; curet tamen omnino parochus ut duo saltem testes semper clare designentur. Valide assistunt etiamsi dolo, vi aut metu justo vel iniusto ad id adigantur, sive viri sive mulieres, sive catholici sive acatholici aut infideles. Extra necessitatem illicite, valide tamen adhibentur acatholici aut infideles » (pp. 380-381 n. 2).

In casu dubia habita est asserta unius testis absentia.

Decisio XXXIX, lata in causa orientali, quoddam momentum praebet etiam pro latinis quia resolvit quaestionem an valide contrahat mulier latina cum catholico orientali coram parocho orientali (in casu maronita) pollente jurisdictione personali praeterquam territoriali, si eadem mulier in actu celebrationis declaret se velle transire ad ritum orientalem viri. Quoniam Defensor Vinculi auctoritate cl. de Clerq contendebat mulierem factam esse orientalem ex tali sua speciali voluntatis manifestatione independenter a matrimonio huiusque valore, Ponens opportunum censuit S. Congregationem pro Ecclesia Orientali interpellare, quae rem detulit ad Commissionem Pontificium ad Codicis canones authentice interpretandos. Quae ad dubium propositum « an mulier latina quae vi canonis 98 § 4 declaret se velle transire in matrimonio ineundo ad ritum orientalem viri, adhuc teneatur ad formam celebrationis matrimonii, de qua in canone 1099 § 1 n. 3° », die 18 aprilis 1940 respondit « Affirmative » (p. 430 n. 5).

Sententia insuper demonstrat agi de interpretatione authentica quae verba legis in se certa declarat tantum ideoque promulgatione non eget et valet retrorsum, ad normam canonis 17 § 2 (pp. 443-445 § 18).

Sententia solvit etiam difficultatem quae exoriri potest ex eo quod

parochi personales suorum subditorum matrimonia celebrare possunt ubique. Nam responsum S. Congregatio Concilii diei 1 februarii 1908 ad dubium VII servat utique istam jurisdictionem personalem, sed tantum quoad capellanos castrenses et parochos « nullum absolute territorium nec cumulative cum alio parocho habentes, at jurisdictionem directe exercentes in personas aut familias », dum responsum ad dubium VIII ab eadem Congregatione datum statuit parochos qui territorium exclusive proprium non habentes cumulative territorium cum alio vel aliis parochis retinent, matrimoniis assistere valere solummodo in territorio cumulative habito.

Hinc consectarium haud exigui ponderis practici pro regionibus orientalibus trahit sententia: « parochi cumulative cum alio vel aliis parochis territorium habentes, si v. g. unius parochi curae pastorali catholici latini alicuis oppidi, alterius vero parochi curae pastorali catholici ritus orientalis in eodem oppido habitantes concrediti sunt, tantum in suo territorio cumulative cum alio habito matrimoniis suorum subditorum valide assistere valent » (p. 431 § 6).

In casu, quoniam probatum est mulierem latinam (quae talis semper mansit, sed etiam si ad orientalem viri ritum se transire velle in actu contrahendi declarasset, conclusio eadem fuisset ob supra visum responsum Commisionis Interpr.) contraxisse cum orientali coram sacerdote orientali qui asserebatur parochus viri, extra tamen fines paroeciae huius parochi, nulla data delegatione Ordinarii vel parochi loci, nullitas matrimonii declarata est.

* * *

Mentione dignas putamus etiam nonnullas quaestiones processuales, quas Sententiae tetigerunt vel solverunt.

In Decisione XXVII coram Janasik sequentia animadvertuntur de abusu qui interdum verificatur inducendi testes post instructionis publicationem: quae inductio a lege facilius admittitur in causis de statu personarum quam in ceteris, sed semper ex gravi ratione ac remoto fraudis subornationisve periculo: « Judex in causa instruenda regulas procedurae severe observare in conscientia obligagatur, ne partium mala vel bona fide abusus in evincenda veritate per testes introducatur. Ad rem cavet canon 1786: « Post evulgatas testificationes, testes jam auditi denuo super iisdem articulis ne interrogentur, neque *novi* testes admittantur, nisi cauté et ex gravi ratione in causis, quae numquam transeunt in rem judicatam etc ». - Textum huius canonis optime explicat cl. Card. Lega in suo *Commentario in judicia ecclesiastica,* vol. II, pag. 729, n. 10, hisce verbis: « Recolatur ante publicationem attestationum partes monendas esse, uti explicavimus, de effectibus publicationis, quod scilicet testes jam auditi denuo super iisdem articulis non interrogabuntur nisi gravi et legitima de causa... Quare partes annuentes publicationi, *juri alios testes deducendi censentur renuntiasse...* Etiam si novi admittantur testes super iisdem articu-

lis, non multum minus instat periculum. Revera novi testes praesumi possunt melius instructi de attestationis objecto, et hinc aliis testibus ipsos fore contradicturos non ex fraude sed pro sua conscientia cum rerum diversam notitiam habeant. Nihilominus testes inducens maximum obtinet commodum ex hac attestatione, unde graviter est *suspectus de collusione cum testibus,* de eorumque corruptione. In jure positivo autem est incivile et improvidum id permittere civibus quod frequenter recidit in abusum, in perversionem ordinis processualis » (p. 289 n. 6).

In facto autem, examinatis circumstantiis, conclusere Judices: « Nulla rationabilis causa adduci potest, ob quam hae duae testes (sorores actricis) non statim ab advocato nominatae fuerint ut decursu processus i. e. ante publicationem actorum examinarentur. Cum vero hae testes post publicationem actorum auditae sint, suspicio de earum collusione merito praesumenda est, prouti in jure explanatum est » (pag. 290 n. 7).

* * *

In Decisione XXVII coram Janasik, graviter exprobrantur judices tribunalis inferioris eo quod addiderant marte suo novum caput nullitatis praeter id super quo erat concordatum dubium, quin super novo fieret litis contestatio. Nullitas matrimonii super novo capite pronuntiata erat. Revera litis contestatio non est necessaria uti actus formalis et sollemnis juxta jus vigens sed - prout statuerunt Auditores Rotales de auctoritate cl. Lega, cuius *Commentarium in Judicia ecclesiastica* citant ac referunt - « debet haberi actus quo Judex, perpensa actoris petitione vel petitionibus et rei responsionibus, declarat quinam sint controversiae termini quos intra contineri debet sententia, quippe fatuus est judex, qui judicat ultra petita » (pag. 306). De facto tamen Rotales Judices expresse non dixerunt sententiam tribunalis inferioris nullitate laborare, ac revera, attento litis contestationem non praecipi sub poena nullitatis in Codice, qui e converso in cc. 11 et 1680 nullitates coarctat ad eas expresse a lege statutas praeter casus in quibus deficiant quae actum ipsum essentialiter constituant, retinendum potius est defectum illum nullitatem sententiae eatenus producere quatenus redundet in defectum citationis ad normam can. 1894, n. 1°.

In eadem Decisione affirmatur vicissim expresse sententiam tribunalis inferioris nullitate insanabili laborare ad normam canonis 1892 n. 2°, quia partes utpote causa culpabilis nullitatis matrimonii (quae tamen nullitas a sententia rotali denegatur) non habuissent personam standi in judicio (pag. 305 n. 9; pag. 307 n. 11). Ista autem pars Decisionis hodie amplius non sustineretur, quum Commissio Pontificia ad Codicis canones authentice interpretandos suo responso diei 4 Januarii 1946 declaravisset inhabilitatem conjugum de qua in canone 1971 § 1, n. 1° haud secum ferre amissionem personae standi in judicio ideoque sententiam forte latam in spretu canonis 1971, § 1 n. 1° esse validam.

DE AUFERENDO VETITO

Prout hoc ineuntes scriptum innuimus, una decisio, ac quidem LVIII coram Quattrocolo, respicit quaestionem de abolenda prohibitione novarum nuptiarum, inconsulta Sancta Sede, apposita ad sententiam vel potius ad decretum rotale, quo praevio recessu Defensoris vinculi Rotalis ab appellatione Defensoris vinculi secundae instantiae adversus duplex conforme judicatum nullitatis matrimonii ob viri impotentiam, jubebatur exsequutio sententiae appellatae inferioris tribunalis.

In casu, vir, qui ajebat se cum alia muliere civili iuncta nexu potentem coeundi se praebuisse ac generasse ab ea prolem, obtinuit revera a Rota permissionem contrahendi novas nuptias, praevia nova peritia ex officio jussa, quae eius physicum statum meliorem invenit. Vir tamen, praeiudicialiter ad talem quaestionem facti, conquestus est quod clausulam illam Rota apposuerit decreto exsequutionis sententiae quin ipse praevie citaretur et audiretur. Tribunal rejecit hanc exceptionem, edicens istas formas processuales non esse necessarias ut clausula illa prohibens novas nuptias apponatur.

Explicatur ratio huius praxeos: « Jus (Ecclesiae) est quibusdam in circumstantiis matrimonia prohibere (cc. 1035-1041), ne sacramenta in irritum perducantur, praesertim quando jam constat de inhabilitate alterutrius ex contrahentibus, et quando in dispendium et iniuriam alterius partis ea convertuntur » (pag. 647 n. 4).

Ac vindicatur legitimitas praxeos ipsius: « Merito quapropter per nostra tribunalia, quin interveniat partium vel patronorum citatio, aut consensus, aut disputatio, proprio jure consulitur ut ad novas nuptias, qui impotentes declarati antea fuerunt, haud transeant, nisi constet Apostolicae Sedi de mutata eorumdem conditione, seu quod ad copulae exercitium habiles facti fuerint vel per temporis decursum, vel per adhibitas curationes, vel per ipsam evolutionem et spontaneam instaurationem organorum » (pp. 647-648 n. 4).

In casu, vir se impotentem in superioribus judiciis amplissime agnoverat, unde minus merito de clausulae appositione conqueri poterat.

Aliis verbis, agitur de actu administrativo, addito pronuntiationi judiciali quidem, sed naturam administrativam semper retinente. Quod probatur ex eo quod inaudita parte emittitur, necnon ex eo quod tollitur ab eadem auctoritate quae illum posuit, scilicet ab eodem turno rotali, non ab illo subsequente; necnon demum ab ipsa procedura ad eum revocandum, quae est prorsus administrativa; nam altera pars non vocatur nec auditur, nec decisionis notificationem recipit.

Notandum denique est clausulam vetantem novas nuptias inconsulta S. Sede saepe addi etiam rescriptis dispensationis super rato, prout est mos etiam Congregationis de disciplina Sacramentorum, ubi dubium adsit an pars sit impotens. Hisce in casibus, matrimonium de se impe-

diri nequiret ob explicitum praescriptum canonis 1068 § 2: « Si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio juris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum ». Ast manet opportunitas adhibendi majores cautelas in admittendis talibus quoque novis nuptiis, quae semper periculum constituunt pro nova comparte.

DE SEPARATIONE TORI, MENSAE ET HABITATIONIS

In binis Decisionibus in hoc thmeate anno 1940 latis, quae sunt XII coram R. P. D. Wynen et XIX coram R. P. D. Canestri, de una perpetuae separationis causa, quae est adulterium compartis (cc 1129-1130), enumerantur qualitates requisitae a lege, doctrina et jurisprudentia, quibus adulterium ipsum pollere debet ad effectum de quo agitur: « Quae qualitates partim sunt positivae, juxta communem doctrinam in citato canone subintellectae, partim negativae, quae a canone explicite enumerantur. Sane, in primis requiritur, ut adulterium sit a) consummatum, b) formale, c) moraliter certum; deinde requiritur, ut sit a) commissum sine consensu sive directo sive indirecto compartis, b) non causatum, neque directe neque indirecte, a comparte, v. g. negando alimenta vel debitum, c) non condonatum expresse aut tacite, d) non compensatum, scl. adulterio alterius partis ». (pag. 115).

Ad istas qualitates quod spectat, notamus tantummodo quod in altera Decisione legitur: « Consummatum dicitur adulterium patratum per actum per se aptum ad prolis generationem » (pag. 198 n. 4).

Quod autem spectat ad causas separationis temporaneae a can. 1131 recensitis, ipse canon admittit enumerationem non esse taxativam. Merito Sententia coram R. P. D. Wynen ait: « Causis separationis temporaneae adnumerandam esse tam denegationem alimentorum quam malitiosam desertionem - de quibus non adest explicita mentio in citato canone - negari nequit. Siquidem in priori casu instat periculum vitae, seu habetur in summo gradu « grave corporis periculum » a cit. can. inter causas separationis temporaneae explicite enumeratum. In altero casu pars derelicta privatur suis juribus, dummodo derelictio reapse sit malitiosa, idest facta absque justa causa ». (pag.115).

Limitati tamen effectus huius separationis confirmantur a Sententia, quae recte intepretatur canonem 1131 § 2: « Sed desertio malitiosa conjugi deserto nullatenus jus tribuit impediendi, quominus conjux fugitivus redeat, paratus ad vitam conjugalem restituendam. Nam « causa separationis cessante, vitae consuetuto restauranda est », sicuti supra jam dictum est » (pp. 115-116 n. 2).

Richardus Romano
Advocatus Rotalis
de Collegio Procuratorum SS. PP. AA.

A. Vermeersch-I. Creusen, *Epitome Juris Canonici,* Tom. I Ed. septima a R. P. Creusen accurate recognita. Mechliniae - Romae, H. Dessain 1949.

Tomus primus *Ep. J. C.* a Cl.mis V. et C. exaratus, duos priores libros codicis commentatos continet. Operi praemittitur Introductio Generalis *De ecclesiastica potestate et De Juris canonici notione et fontibus.* Ubi primo brevi sed clara expositione ex Ecclesiae natura et fine demonstratur vera notio iuris canonici, ac principia societatis ecclesiasticae relationesque Ecclesiam ipsam inter et Statum civilem statuuntur; secundo fontes canonici juris inde a prioribus saeculis Ecclesiae regiminis proponuntur et illustrantur usque ad recentiores collectiones SS. Congregationum. Tandem clauditur introductio quibusdam notionibus sat claris quoad juris canonici historiam.

Normas Generales, primus scilicet liber Codicis, P. A. Vermeersch systematice commentatus est in primo libro operis, praemissa introductione aliqua qua relationes quae habentur inter jus codicis et disciplinam Orientalis Ecclesiae examinantur additisque notionibus quibusdam de fontibus juris vigentis (cc. 2-6): de jure liturgico, de concordatis, de privilegiis et indultis atque de consuetudinibus.

Liber secundus Codicis, scilicet *De Personis,* initium sumit cum Introductione P. A. Vermeersch, qui de personarum constitutione, distinctione, actione et ordine (De personis scilicet physicis et moralibus) specifice optime pertractat.

Pars vero prima, *De Clericis,* P. I. Creusen debetur: ibi de incardinatione, iuribus, obligationibus et officiis clericorum eorumdenque redutione ad statum laicalem normae canonicae exponuntur atque principia juridica quoad potestatem ordinariam tum et delegatam clare enunciantur; inde de clericis in specie, scilicet de Romano Pontifice, de Cardinalibus, De Curia Romana, De Conciliis, De Episcopis, etc. omnes leges mira claritate proponuntur.

Pars secunda, quae *De Religiosis* pertractat, a PP. Vermeersch et Creusen simul exarata fuit. Post parvam introductionem quae praevias praebet notiones, tractatus de omnibus legibus religiosos respicientibus habetur: De erectione et suppressione religionis, provinciae et domus; De religiosorum regimine; De admissione in religionem; De ratione studiorum in religionibus clericalibus; De obligationibus et privilegiis religiosorum; De transitu ad aliam religionem; De egressu e religione; De dimissione religiosorum; Sanctiones paenales obligationum status religiosi; De societatibus sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis; De Institutis saecularibus: per hos titulos AA. exponunt et fere semper optime explicant tum leges C. I. C. tum Documenta quae hucusque a S. Sede quoad religiosos emissa fuere.

Tertia et ultima pars brevi sed magis hodie opportuna tractatione *De laicis* hoc opus claudit. Pars haec a PP. Vermeersch et Creusen simul exarata fuit. Notiones et normae quoad fidelium associationes exponuntur. De Actione autem catholica juridicam notionem specificam-

que naturam A A. proponunt. A p. 658 usque ad p. 680 operis Facultates quibus Nuntii, Missionarii atque locorum Ordinarii fruuntur collectae sunt; septima haec editio tomi primi operis *Epitome I. C.* diligenti curae cl.mi Creusen debetur, a quo vere accurate totus textus recognitus fuit.

P. L. J. Fanfani O. P., *Manuale Theorico-Practicum Theologiae Moralis ad mentem D. Thomae,* Tomus, I - Romae - Ferrari - 1950 pp. 648.

P. L. Fanfani, iam notus studiosis ecclesiarum disciplinarum, praesertim iuris canonici, novum opus suae intelligentiae et erudictionis nunc edidit, alumnis facultatis S. Theologiae haud parum profuturum.

Opus perfectum continebit totam materiam theologiae moralis; primus editus tomus partem fundamentalem theologiae moralis tantum continet: pro currenti anno alia duo volumina prodibunt.

Omnia theologiam moralem fundamentalem respicientia in primo hoc tomo habentur.

Praemissis enim notionibus generalioribus circa moralitatem et theologiam moralem, auctor scripsit per plures tractatus de tota materia fundamentali scilicet de ultimo fine, de actibus humanis, de lege, de conscientia, de virtutibus et vitiis in communi, de peccatis et de censuris. Materia quae minime deficit, et, quod haud parum laudandum, logice et scientifice ordinata invenitur. Auctor certe in exponendo tam magnam ac multiplicem materiam, leges naturales, divinas et ecclesiasticas attingentem, in animo habuit illas P. Creusen animadversiones, quae ipsemet refert initio, circa defectus, quos facile reperiuntur in manualibus Theologiae Moralis, scilit *character pure negativus, defectus ordinis* et *defectus spiritus supernaturalis* plurium manualium.

Has animadversiones dixi auctorem in animo habuisse et affirmari potest lamentatos defectus evitasse.

Doctrina D. Thomae quam A. continuo conatus est referre atque recte applicare viam ipsimet auctori aperuit et auxilium praebuit in tradenda explanandaque materia sat supernaturalis spiritus imbuta positivamque notam spiritualitatis continente. Quae certe una cum claritate atque perfectione ordinis sunt merita haud levia huius operis: merita quae alumnis tum seminariorum tum etiam facultatum S. Theologiae auxilium pretiosum praebent in discenda materia tam ipsis necessaria.

Liceat autem mihi quasdam, certe minoris momenti, quae in tam excellenti opere inveni, imperfectiones notare.

Quae, uti prologomena, scripta fuere, non constituunt proportionatam introductionem studio theologiae moralis, quae necessaria videtur, cum magni sit momenti.

Notio ipsa moralitatis sat brevis parumque elaborata exhibetur, quae certo non bene convenit tam excellenti tractatui.

Sicut imperfecta videtur notio naturae theologiae moralis, et sat brevis historia eiusdemque disciplinae.

Notanda etiam videtur aliqua carentia apparatus bibliographici: auctores, moderniores praesertim, parum citantur.

Quae certe meritum intrinsecum operis non minuunt, et minime obstant fini ipsius: scilicet utilitatis tum studiosis tum alumnis, quibus optime inservire potest uti scholasticus textus.

BARTOCCETTI V. « *Jus Constitutionale Missionum* » R. Berruti e C. LICE, Torino, 1947 pp. 218.

Prima animadversio hic exponenda videtur difficulter loqui nos posse de jure missionario stricto saltem sensu intellecto; equidem opus evangelisationis et conversionis populorum adeo varium est et mutabile pro locorum et temporum adiunctis, ut fere impossibile sit eidem aptare normas juris quae necessario aliquali saltem stabilitate et uniformitate gaudere debent ut normae revera sint: si ipsae autem mobilibus arenis aptari debeant, fere ex integro evanescent. Opus quoque evangelisationis ab humana industria et activitate pendet tantum ex aliqua parte, sed praecipue a Dei Providentia, cum conversio « neque volentis neque currentis, sed miserentis est Dei »; difficulter ergo stabiliri possunt juridicae statuitiones circa hoc tam sublime tamque supernaturale opus. Revera si velimus summarie inspicere quomodo ad Catholicam Fidem populi sint conversi; hoc evenisse videbimus, pluries saltem, fere independenter ab industria, a zelo et activitate operariorum Evangelii, sed potius ab adiunctis a Divina Providentia in sua mysteriosa dispensatione dispositis, extra quandoque quamlibet praevisionem humanae mentis: « contra la provvision dè senni umani ». Ecquis sane praevidere potuit conversionem Constantini Imperatoris, Clodovaei, Regum Anglosaxonum et ita porro?

Attamen negari nequit Missiones apud infideles accepisse aliqualem stabilem formam postquam Sacra Congregatio de Propaganda Fide anno 1628 fundata est, ut praesertim consuleret evangelisationi Indiarum Orientalium (nempe Indiae, Sinarum, Iaponiae cui addenda est et Africa), quae cum a Regibus Catholicis occupari non potuerint, nec efficaciter fide illustrari valuerunt, uti econtra factum fuerat feliciter in America centrali et australi, sine directo interventu Sedis Apostolicae.

Tunc creata est figura juridica Vicarii et Vicariatus Apostolici, tunc missi sunt Missionarii S. Congregationis; facultates missionariorum bene sunt determinatae et universum opus evangelisationis directe positum est sub directa et omnimoda dependentia Sanctae Sedis, quae ad illud exercendum adhibuit fere exclusive sodales Institutorum Religiosorum vel Missionalium; qui ceterum etiam temporibus praecedentibus universum pondus missionum sustinuerant.

Constitutio autem juridica missionalis quae nunc obtinet in universo fere mundo, plenam evolutionem et stabilitatem consecuta est post gallicam eversionem, a Pontificatu praesertim Gregorii XVI et deinceps usque ad nos; neque conspiciuntur indicia quae eamdem mutare substantialiter in proximo futuro valeant.

Cardo autem praesentis constitutionis missionalis est *Commissio* a Sancta Sede facta Ordini Religioso vel Instituto Missionali determinato, alicuius territorii, quod in circumscriptionem ecclesiasticam erigitur parem diocesi, ut ibi Ordo vel Institutum conversioni acatholicorum det operam, personas et media suppeditans ad hoc necessaria, plena et exclusiva potestate, sub alta dependentia tamen Sanctae Sedis, cuius Institutum fit quodammodo cooperator qualificatus et sponsor.

Libellus, post introductionem generalem (*Cap. I*) circa conceptum Missionis et territorii missionalis; itemque post excursum historicum (*Cap. II*) exclusive desumptum ex Collectanea S. Congr. De Prop. F. et post examen externum (*Cap. III*) formularum documentorum apostolicorum circa Commissionem, (*Cap. IV*) aggreditur expositionem praecipuorum commodorum systematis, quae tamen - uti inevitabile utcumque est - aliquibus quoque incommodis permiscentur, quibus tamen opportune remedium afferri potest. Quod systema sit bonum, probatur a priori ex facto quod Sancta Sedes aliud melius, post saeculorum experientiam, non invenit. Et revera, cum generatim conversio completa incolarum alicuius territorii (in optima hypothesi), vel saltem plantatio ibi Ecclesiae (in ordinariis contingentibus), requirat tempus vitam hominis excedens, si munus convertendi singulis committeretur personis, morti subiectis, semper esset de novo incipiendum; idem econtra committendo Instituto quod perpetua juventute gaudet, Sancta Sedes sperare potest ut serius ocius suum consequatur scopum. Insuper Commissio efficacem reddit et continuam cooperationem inter mundum fidelem et infidelem, dat operi missionali omogeneitatem, continuitatem; illud liberat, quantum possibile est, a dissensionibus, a nimiis mutationibus etc.

Uti correlativam commodis, systema videtur prae se ferre aliqualem tarditatem vel immobilitatem, quae contraria est essentiali provisorietati et transitorietati regiminis missionalis, quod unice dirigitur ad plantandam Ecclesiam in loco, nempe ad reddendum territorium maturum pro gubernatione cleri indigenae.

Subiectum activum Commissionis (*Cap. V*) est Sancta Sedes, imo proprie loquendo Papa, per organum plerumque S. Congr. De Prop. F.: subiectum passivum est Ordo vel Institutum clericale in persona sui Superioris Generalis. Finis Commissionis est idem ac finis Missionum (*Cap. VI*), nempe conversio gentium territorii vel totalis, vel si hoc sit impossibile, saltem partialis cum fundatione tamen in loco Ecclesiae quantum fieri potest sui juris, tum quoad sacerdotes loci tum quoad media temporalia.

Iura et officia correlativa (*Cap. VII*) subiectorum Commissionis sunt ex parte Instituti omnia peragendi tum quoad homines tum quoad media subministranda, quae ad conversionem vel saltem ad plantationem Ecclesiae conducunt, juxta vires; cum jure habendi, durante Commissione, Superiorem Ecclesiasticum e gremio suo selectum et cum missionariis a se saltem approbatis.

Duratio Commissionis (*Cap. VIII*) est ad tempus indeterminatum,

nempe ad arbitrium Sanctae Sedis, quod forsan inevitabile est in praxi, at periculis gravibus est obnoxium, quia quaelibet possessio, vel precaria, temporis indeterminati, tendit in jure ad assumendum caracterem proprietatis stabilis, quod est e diametro contrarium ipsi essentiae Missionis. Proponitur ergo ut Commissio — si fieri possit — post lapsum temporis determinati (puta post medium saeculum) per se ipsam evanescat, ita ut confirmatione vel prorogatione positiva indigeat ex parte Sanctae Sedis. Perdifficilis sane executionis est hoc optatum; at videtur optima medicina contra sic dictum Congregationalismum vel Feudalismum missionarium a Sancta Sede, ultimis praesertim annis, tam fortiter impugnatum et damnatum, uti pestis teterrima et causa ariditatis cuiusque laboris missionalis. Per similitudines (*Cap. IX*) conceptus Commissionis illustratur. Quae analoga est contractui societatis inter Sanctam Sedem et Institutum, tutelae minoris (qui in casu esset territorium missionale, Institutum vero esset tutor: tempus ergo statuendum est pro adventu majoris aetatis pupilli); scholae (discens sunt incolae territorii, docens est Institutum; quaelibet schola autem pro singulo discipulo definito tempore concludi debet, secus nomen scholae nec meretur); locationi vel emphiteusi (quando terra facta est fecunda accipitur in administratione ordinaria a Sancta Sede cum collaboratione sacerdotum loci).

Post haec tandem (n. 236, et p. 102) habetur definitio seu descriptio Commissionis « *Institutum canonicum vi cuius Sancta Sedes in exercendo opere missionario in determinato territorio, sibi associat pro tempore ad suum arbitrium determinando, aliquod Institutum sive regulare sive missionarium; ut idem in solidum se obliget ad mittendos quot poterit sodales necnon quot media pecuniaria sibi praesto erunt ad opus evangelisationis ibi promovendum usque ad creationem ecclesiae localis. Sancta Sedes vicissim Superiorem ecclesiasticum missionis — durante commissione — e gremio Instituti seliget, nec extraneos missionarios illuc mittet nisi de Instituti consensu* ».

A *Cap. X* incipit examen effectuum juridicorum Commissionis in vita cotidiana missionis: inde apparet constitutionalis diversitas horum territoriorum commissorum ab illis juris communis. « Dum in territoriis non commissis in qualibet quaestione et actu juridico intrant tantummodo elementa *endogena,* extantia nempe intra fines territorii, in missionibus econtra commissis Institutis, intrat semper etiam elementum extraneum, quod transcendit fines missionis, imo praevalenter viget extra fines missionis ». Cum autem agatur de tertio elemento collectivo, evidens est complicatio juridica quae inde exurgere debet, quia relationes inter entia collectiva sunt exquisite juridicae, dum relationes inter personas singulas econtra potius reguntur ordinarie criteriis opportunitatis vel caritatis, non autem stricte juridicis. *Capita XI, XII et XIII* illustrant quantum ingrediatur Institutum commissionarium in potissimos actus vitae Missionis, nempe primo in erectione novae missionis, tum si assignari debeat alii Instituto, tum si remitti debebit indigenae clero. Negotium quod est dicotomicum in locis juris communis (sancta

Sedes et elementa loci) fit tricotomicum (Sancta Sedes, elementa localia, Institutum) in terris missionum.

Non est obliviscendum Institutum aliquando summe esse conspicuum, eique Sanctam Sedem multum deferre debere, puta Societatem Jesu, Ordinem Minorum vel Praedicatorum etc.; non est ergo elementum secundarium, imo videtur primarium saepe saltem de facto. Ad implicatiores reddendas quaestiones novarum erectionum intervenit saepe (imo fere semper) etiam nationalitas membrorum Instituti. Hi enim sunt exg. praevalenter vel ex integro Galli in Instituto Missionum Exterarum Parisiensi, sunt Itali in Instituto Miss. Mediolanensi, sed et in Ordinibus religiosis generatim singulae Missiones assignantur singulis Provinciis, nempe determinatae nationalitati.

In nominatione Episcopi Institutum maximas vindicat partes, cum nominari debeat membrum Instituti et Superior Generalis sic dictam *ternam eligendorum* conficiat: inde enascuntur obviae relationes personales, grati animi, subiectionis electi erga praesentantem, quae natae sunt effectus notabiles gignere in gubernatione Missionis. Superior enim ecclesiasticus (sit ipse Vicarius vel Praefectus Apostolicus vel etiam Episcopus residentialis) immediate et exclusive in sua gubernatione a Sancta Sede dependet at simul, ut fructuose gubernare valeat, coniunctus manere debet Instituto eiusque Superioribus, quibus evadere debet persona grata. Si enim Episcopus concorditer non agat cum suo Instituto, hoc illi nec personas nec media suppeditabit, quae sunt necessaria ad evangelisationem peragendam.

Patet ideo quanta erit difficultas pro Superiore ecclesiastico exequendi, ne dicam ordinationes absolutas, sed quandoque directivas generales Sanctae Sedis et magis quoque eius desiderata, si haec conformia non sint optatis Instituti. Quod evenire potest praesertim circa determinationem temporis, quo Missio transire debeat ad administrationem cleri indigenae, (quae est meta et finis proximus cuiuslibet missionalis activitatis); itemque circa bona assignanda Indigenae Missioni etc: quae omnia — apparenter saltem — videntur sacrificia vel dispendia pro Instituto, a quibus ergo plus minusve abhorret.

Quoad gubernationem Missionis habetur quaedam « diarchia », cum de facto, et etiam in quibusdam de jure, potestas dispescatur inter superiorem ecclesiasticum (Episcopum) et superiorem religiosum, quorum prior imperat missionariis qua missionariis, alter autem missionariis qua religiosis, seu membris Instituti.

In *Cap. XIV*, sub ductu documentorum recentiorum Sacrae Congr. de Prop. Fide, solvuntur potiores quaestiones, quae ordinarie oriuntur, et spherae respectivae delineantur. Agitur tamen de re admodum implexa in theoria; in praxi vero facili, si vigeat concordia et spiritus apertus in utraque parte; admodum autem difficili, si hoc, malo fato, non verificetur.

Maximi monenti est quaestio exposita in *Cap. XV* « De jurium tuitione » respective Instituti commissionarii et futurae dioecesis indigenae, quae creari debet in loco, quaeque est fructus laboris missiona-

riorum. Iura Instituti commissionarii bene sunt repraesentata et tecta tum a Superiore Ecclesiastico, qui ad Institutum pertinet, tum potius quoque a superiore religioso, a procuratore Ordinis etc. Jura futurae dioecesis sunt econtra plus theoretica et hypothetica quam realia, ideoque in maximo periculo ne pessumdentur, nisi succurrat continua vigilantia et admonitio ex parte Sanctae Sedis eiusque repraesentantis in loco, Delegati sc. vel Nuntii Apostolici. Hoc explicat ex. gr. cur nullo reclamante in Sinis, in Japonia, in India templa catholica constructa sint stylo gothico non indigena, uti rationabile fuisset etiam pro adiuvandis conversionibus. Ardua quaestio est illa assignationis bonorum, quando territorium ex Instituto commissionario transibit ad commune regimen sub ductu cleri indigenae. Res est, in qua jus videtur peculiariter influere, quaeque diversas, etiam theoretice, sortita est solutiones. Solutio optima et rationalis, quae *Cap. XVI* sustinetur, est *criterium functionale,* eo nempe sensu quod praescindendo ab origine bonorum praesertim immobilium, (ecclesiae; domus etc.), nempe non recolendo cuius expensis sint constructa, Ordini vel Instituto, etiam post transitum territorii clero indigenae, in proprietate maneant illa bona quae Ordini tantum inservire possunt (uti sunt veri conventus cum adnexis ecclesiis, novitiatus, domus pro senibus membris Ordinis etc.); cetera universa bona dioecesi cedant indigenae, cum ad donandum futurae dioecesi indigenae quodammodo se obligaverit Institutum quando commissionem acceptavit.

Capite XVII illustrantur termini quaestionis cleri indigenae, quae tamen modo solutionem pluribus in locis invenit plenam, cum creationibus tot circumscriptionum Episcopis et sacerdotibus loci concreditarum. In Sinis primae erectae sunt, postea in Japonia — ubi nunc omnia sunt indigenis commissae — itemque postea alibi. Certe dum Missio commissa est Ordini vel Instituto, positio juridica indigenae cleri est alicuius minoritatis, quae tamen per tutelam Sanctae Sedis eiusque repraesentantium de facto minima evasit vel fere ex integro disparuit: nam clerus indigena est heres missionariorum eorumque pupillus, cum omnibus consectariis huius status.

Capit. XVIII et XIX continent originale aliquid, nempe comparationem phoenomenorum juridicorum, quae exurgunt tum circa personas tum circa bona in paroecia religiosis in nostris dioecesibus catholicis commissa et in Missione; nam paroecia religiosa valde similis est Missioni Ordini concreditae, in pluribus saltem adiunctis: ex comparatione ideo problematum paroeciae, lumen enascitur pro aestimandis et problematibus missionalibus.

Opus non jam complete intendit exhaurire thema, sed potius vult aliis viam sternere, ut super delineata puncta plenam velint construere doctrinam.

Fons studii fuit observatio directa de rebus missionalibus, qualis possibilis est ex alta specula Sacrae Congregationis de Prop. Fide cui per quinquennium inservire cl. Auctor potuit: parum in re auxilii ex libris vel tractationibus, vel etiam ab ipsa schola, derivare potuit.

Qui librum legit, ideam aliqualem acquirere valebit de singularitatibus juridicis vitae missionalis, necnon de majoribus problematibus ibi insurgentibus, una cum indicatione solutionis saltem optabilis juxta directivas Sanctae Sedis, quae inculcant naturam essentialem transitorietatis laboris missionalis eiusque precarietatem; quia dirigitur ad creationem ecclesiae communis in territorio: quo citius ergo Institutum amittet territorium, quia idem transivit sub directione Cleri indigenae, eo melius suum adimplevit munus: quo longior econtra est vita alicuius Missionis, eo infelicior fuit labor evangelicorum operariorum; sicut quo pluribus annis alumnus scholam frequentare debuit ad lauream adipiscendam, eo magis vel ipse alumnus tardioris judicandus erit minervae vel inepti eius magistri.

Mutantur autem rapide in dies adiuncta Missionum, praesertim quando, ut in praesens, bella vel ingruunt vel timentur; quando ut hodie, vix obstacula spatii amplius extant, per alas et per radio superata, ideoque Missiones factae sunt nobis vicinae; modo cum systema colonisationis praeteriti saeculi morti proximum apparet et quaelibet Natio, quae iam appellabatur primitiva vel incivilis, ad independentem et dignam vitam ardenter adspirat, nec se putat inferioris, sed econtra superioris gradus ac nos.

Nunc tempus est, relictis inutilibus discussionibus de tricis et fumo vel nationalistico vel congregationalistico, pleno corde et alacriter principia a Sancta Sede semper proclamata, necessitatis praesertim adaptationis missionalis, formationis cleri et hierarchiae indigenae, culturae eximiae, actionis socialis etc. in praxim deducendi, ne, nobis dormientibus vel haesitantibus, inimicus homo possessionem firmet terrarum, quas Christus acquisivit sanguine suo praetiosissimo!

De Carlo *C. M. I., Ius Religiosorum* p. XXVI, 622. Desclée et Socii.

Hoc opere, ut titulus ipse ostendit, tota de Statu religioso disciplina continetur.

Continentur idcirco quae canonibus Codicis I. C. « De Religiosis » statuuntur: De Religionum nempe natura, fine, legibus, regimine; de Religiosorum institutione, obligationibus, iuribus, privilegiis. Continentur quae, ad Religiosos spectantia, hac illac in toto Codicis corpore sparsa sunt, quae v. g. Eucharistiae, Poenitentiae, Ordinis sacramenta, loca sacra, ecclesiasticum magisterium, fidelium associationes respiciunt. Continentur denique quae ex peculiaribus S. Sedis documentis, extra Codicem vagantibus, servanda sunt circa e. g. Instituta saecularia, religiosos militari servitio astrictos, etc.

Nihil, operi consentaneum, omissum est; ita ut in eo Religiosi in unum collecta habeant omnia quae circa ipsorum Statum scitu necessaria aestimentur.

Peculiari nota digni sunt plures epilogi seu elenchi, quibus notiones circa idem obiectum ordinatim exhibentur: elenchus v. g. officiorum, obligationum et privilegiorum Superiorum Generalium, Pro-

vincialium et localium in omni Religione sive clericali sive laicali (nn. 78-83); elenchus omnium casuum, in quibus Regulares Ordinariis subiciuntur (nn. 393-402); elenchus omnium privilegiorum Religiosis communium (nn. 406-419) etc. Cf. etiam nn. 150, 287, 312.

Omnia tradita sunt concinno ordine et maxima expositionis perspicuitate, cui haud parum conferunt typorum nitor ac varietas, quibus primaria a secundariis facile secerni et retineri possunt.

Quare, non solum iuris canonici alumnis, sed omnibus Religionum sodalibus opus perutile censemus.

L. Perez Mier, *Sistemas de dotación de la Iglesia Católica.* Ed. Consejo Superior de Investigaciones cientificas. Instituto « San Raimundo de Peñafort » (Salamanca 1949), in 8°. XXXII - 302 pagg.

En opus argumenti quidem novi in quo A. intendit exhibere tam personis in potestate constitutis quam iuris cultoribus conspectum syntheticum et scientificum diversorum systematum, quibus in singulis Nationibus prospicitur Ecclesiae catholicae dotationi, i. e. sustentationi cultus divini, cleri aliorumque ministrorum, et reliquorum finium ecclesiasticorum provisioni (can. 1496).

Triginta duobus prioribus pagellis (I-XXXII) praeter indicem analyticum, praefationem et explicationem operis inseruntur fontes et bibliographia. Inter primos allegantur 27 Concilia plenaria et provincialia post Collectionem Lacensem celebrata et plus quam 60 Synodi dioecesanae e dissitis locis inde ab anno 1886 usque ad 1948.

Opus, quod constat introductione et octo capitibus, absolvitur indice alphabetico personarum, rerum et locorum. *Introductione* (pp. 1-7) A. nexum inter dotationem et systema beneficiale, dotis beneficialis et dotationis Ecclesiae elementa tradit, et systemata dotationis enucleate hoc fere modo disponit:

1) systema classicum dotis beneficialis *in bonis fundisque stabilibus* constitutae;

2) systema dotationis innixum in bonis, quae non sint *reditus dotis* neque fructus capitalium:

A) systema *oblationum fidelium* « certae et voluntariae fidelium oblationes » (can. 1409);

B) systema *tributi* seu impositionis super fideles:

a) tributum mere ecclesiasticum praesertim decimarum et primitiarum;

b) systema decimarum ecclesiasticarum cum vi et efficacia iuris etiam civilis, sicut viget in ditione Canadensi;

c) tributum pro scopo quidem religionis, sed a potestate saeculari constitutum et per magistratus civiles ordinatum:

3) systema dotationis annuae a Civitate per inclusionem uno aliove modo factam in sic dicto *bilancio* Status.

Caput I (pp. 9-55) Statibus Foederatis Americae dicatum, agit: 1) de conditione iuridica Ecclesiae et de capacitate ecclesiasticorum; accu-

ratis citationibus adducuntur dispositiones Conciliorum saeculi elapsi et inter recentiora allegantur C. P. Portendensia IV (a. 1932) et Synodorum Toletanae I (a. 1941) et Harrisburgensis IX (a. 1943); tandem A. exponit systema dotationis tam redituum quam etiam solutionum innixum praesertim *oblationibus voluntariis fidelium* earumque caractheres apprime perpenduntur.

Caput II ditioni Canadensi dicatum (pp. 57-95) agit: 1) de vi Ecclesiae eiusque iuridica conditione; 2) systema dotationis duplex distinguitur: primum simile vigenti in Statibus Foederatis, cuius descriptio fit iuxta praescripta C. P. Kingstoniensis I et Torontini II (a. 1938) et Synodi Vancuveriensis (a. 1937); alterum in usu apud Prov. Quebecensem retinet decimas, quarum regimen accurate describitur secundum praescripta Syn. Quebecensis II (a. 1940), Sherbrookensis (a. 1941) pariterque S. Hyacinthi (a. 1931) atque Principis-Albertensis et Saskatoonensis (a. 1927).

In *Capite III* A. tradit systemata dotationis in usu apud varias gentes Americae Meridionalis (pp. 97-136). Traditis notulis de statu et conditione iuridica Ecclesiae, fit transitus ad systema dotationis. Variis in locis viget dotatio per Civitatem; aliis in regionibus in usu adhuc sunt decimae et primitiae; harum regimen iuridicum sat completum Conciliis Synodisque recentissimis determinatum habetur in rebuspublicis Mexicana et Colombiae. Brasiliis et in republica Uruguay systema plus minusve simile ex novo instauratum est.

Capite IV A. incumbit studio dotationis in variis Europae centralis regionibus (pp. 137-180). Duplex distinguitur systema dotationis: primum iuris publici dictum, nempe species quaedam tributi ope Status inducti, quod viget in Germania, in Austria et magna ex parte etiam in Polonia; aliud est systema traditionale ex « reditibus dotis » *in bonis fundisque stabilibus*, quod usque ad hodiernum diem viguit in Hungaria, Checoslovaquia, Yugoslavia, Rumania et ex parte in Polonia, quod nuperrime vero undequaque eversum est.

Caput V dotationi Ecclesiae in Gallia, Belgio et Neerlandia attendit (pp 181-220). Ad Galliam quod attinet A. describit statum iuridicum Ecclesiae et entium ecclesiasticorum ante et post legem sic dictae « separationis » et systema dotationis inductum per « denier du culte »; ad determinationem regiminis iuridici eiusdem adducuntur textus ex Statutis 23 dioecesum Galliae, neque omittitur specialis consideratio regiminis concordantarii in Alsacia et Loringia. Conditioni iuridicae Ecclesiae eiusque dotationi per Civitatem in Belgio tribuuntur decem pagellae parique gressu attenditur regimen mixtum in Neehlandia vigens.

Descriptionem dotationis Ecclesiae in Anglia, Hibernia, Lusitania et Helvetia praestat A. in *capite VI* (pp. 221-252). Systema dotationis Ecclesiae catholicae in Anglia fit maxime ope oblationum fidelium, quin desint recentissime indicia systema decimarum propugnantia. A. considérat etiam systema dotationis Ecclesiae anglicanae, in qua decimae locum non spernendum retinent. Hae tamen nullam habent sedem in

Hibernia, ubi attenditur dotationi ope oblationum et ex parte etiam per « reditus ex dote » bonorum immobilium. In Lusitania post emendationem legis separationis prospicitur Ecclesiae dotationi forma quadantenus simili regimini « denier de culte ». In Helvetia sicut non eadem est conditio iuridica Ecclesiae, ita neque systema unum viget dotationis in singulis Statibus.

Considerationi dotationis Ecclesiae in Italia A. attendit *capite VII*, in quo separatim considerantur: eversio bonorum ecclesiasticorum eorumque ex parte reparatio, Concordati praescripta et Status dotationes simul cum necessitate inducendi innovationes in regimen dotationis per Statum (pp. 253-266).

Tandem *capite VIII* A. perpendit systema dotationis in Hispania. Hunc in scopum tradit: 1) vicissitudines bonorum ecclesiasticorum saeculo elapso et statum iuridicum hodiernum Ecclesiae; 2) analysim iuridicam instituit systematis dotationis per Concordatum a. 1851 inducti cum immutationibus, quae subsequuntur usque ad praesens tempus (pp. 267-289).

Opus est indolis stricte expositivae, ut apparet. A. deliberate refugit deductiones extrahere in corpore libri; in proemio tamen penitus non omisit tradere optata quaedam et vota in canonistico conventu prolata quaeque exprimunt summa lineamenta pro reformatione systematis dotationis in Hispania.

Kenneth R. O'Brien, The *Nature of support of diocesan priests in the United States of America,* A dissertation, The Catholic University of America Press, Washington, D. C. 1949 pp. XVI 162.

A. propositae quaestioni: an media oeconomica, quibus sustentationi sacerdotum in Statibus Foederatis Americae providetur, induant naturam compensationis pro praestitis servitiis vel potius donationis (p. XV), respondet in Secunda Parte dissertationis (p. 21-127), cui in Prima Parte (p. 1-20) quasdam praemittit notitias historicas circa fontem sustentationis pro clericis sive in primitiva Ecclesia (cap. I. p. 1-10) sive in constitutione Ecclesiae in Statibus Foederatis Americae, prouti sancitum est a Synodo a. 1791 et a III Concilio Baltimorensi. (p. 11-20).

Sustentatio quae in St. Foed. Am. datur clero sub forma pecuniae, congrua vel salarium dicta, consideranda est in duplice ordine iuridico (canonico et civili) illius regionis, quod ius civile vi can. 1529, cum agatur de contractibus et solutionibus, canonizatur. (p. 20-26) Illustratis ideo notione et elementis contractus, cui respondet compensatio stricte debita ex iustitia, insistendo in elemento v. dicto « legally sufficient consideration », et pariter illustratis notione et elementis donationis in iure civili St. Foed. Am. (p. 43-56), concludit A. quod eo ipso quod deest contractus sensu civili intellectus, praestatio data consideranda est uti donatio et non compensatio.

A parte doctrinali generali gressum facit A. ad applicationes ad trutinam recovando diversos titulos seu fontes sustentationis pro sacerdotibus ratione ministerii sacri exerciti; hos titulos cum iure civili regionis comparat, ut concludere valeat an agatur in casu de donatione vel de compensatione.

1) Beneficium, quod in St. Foed. Am. existit sub forma paroeciae cuius dotatio a liberis fidelium oblationibus constituitur, in iure regionis non est contractus; deest enim in Episcopo ius titularem privandi totali sustentatione, excepto casu extremae indignitatis (p. 62-66); item deest in Episcopo ius vigilandi et quoad omnes particularitates interveniendi in adimpletione obligationum beneficiarii, nisi intra limites canonum (p. 66-69). Ideo concludit. A. solutiones beneficiario factae induunt naturam donationis. (p. 69-70).

2) Officium ob easdem rationes quae pro beneficio expositae sunt et praesertim ob defectum elementi v. dicti « legally sufficient consideration », scilicet mutuae praestationis servitii vel rei pecunia aestimabilis, (p. 80-81) non constituit contractum inter Episcopum et sacerdotem (p. 82-84), ideo praestatio pecunaria in casu data non habet naturam strictae compensationis (p. 71-84).

3) Subsidium, vi can. 981 § 2 datum sacerdotibus beneficium vel officium non habentibus et tamen peculiaribus functionibus ministerii sacerdotalis addictis, non fundatur in promissionibus sive ex parte sacerdotum sive ex parte Episcopi contractum constituentibus, nec est motivum propter quod illud ministerium suscipitur; ex quo sequitur illud habere naturam donationis. (p. 86-88). Pariter, deficiente contractu, non est stricta compensatio subsidium quod datur sacerdoti perfectioribus studiis ab Ordinario addicto. (p. 89-93). Moralis obligatio non est sufficiens fundamentum pro contractu; hac de causa subsidium sacerdoti inhabili vel penaliter remoto a ministerio habet naturam donationis (p. 94-96). Idem dicendum de pensione sacerdoti collata (p. 96-99).

4) Exhibitis stipendiis Missarum in Codice et in Commentatoribus uti liberalis donatio (p. 102-104), quod pariter a iure civili St. Foed. Am. tenetur (p. 105-107), et descriptis iuribus stolae seu taxis uti carentibus coërcibilitate (p. 107-112) etiam in iure canonico, concludit A. illas non esse strictas compensationes. In cap. IX (p. 113-114) advertit A. alias praestationes vel solutiones, quae sacerdotibus fiunt non ratione sacerdotalis ministerii, omnino a iure civili loci regi.

In ultimo capite A. consequentias eorum quae statuit exponit: a) solutiones sacerdotibus factae ratione beneficii, officii vel subsidii, cum sint donationes, eximuntur a taxa civili v. « income tax », quae statuta fuit pro compensationibus ex contractu acceptis; (p. 115-118); b) exemptae quoque a tali taxa habendae sunt solutiones sacerdotibus factae pro actibus sacerdotalibus v. g. stipendia Missarum, iura stolae, etc. (p. 119-120); solutiones sacerdotibus factae ob rationes aliis civibus communes, communi iure civili reguntur (p. 120-121); d) cum desit inter Episcopum et sacerdotes relatio contractus laboris, clerus nequit

subiici provisionibus legis v. « Federal Social Security Act » (121-124); e) eadem de causa nequit clero applicari assecuratio v. « Workmen's Compensation Act » (p. 124-126).

P. Aelius Gambari s. m. m.
S. Congregationi de Religiosis addictus.

Hubert Jedin, *Geschichte des Konzils von Trient,* Band I.: *Der Kampf um das Konzils,* Friburgo i. Br. 1949, pp. XIII — 643. In versione Italica: *Storia del Concilio di Trento,* vol. I: *La lotta per il Concilio,* Morcelliana, Brescia, 1949, pp. 487.

Non semel accidit ut, loquenti de *nova* aliqua historia Concilii Tridentini objiciatur interrogatio: nonne haec historia jam pluries scripta est? Nonne Sarpius et Pallavicinus, et tempore recentiori alii Auctores eam fuse tractaverunt?

Attamen, qui non est profanus in hoc genere studiorum, optime novit novam tractationem historiae Concilii Tridentini non esse opus otiosum vel inutile, immo eam esse nostris diebus valde necessariam et maximi momenti. Opera Sarpi et Pallavicini, celebria et insignia in evolutione historiographiae modernae, graviter laborant propter earum « *tendentiam* » polemicam vel apologeticam. Per saecula lucta, quae exarsit inter oppositas conceptiones horum duorum, impedivit quominus historia Concilii Tridentini sine ira et studio consideraretur, et Auctoritatem Romanam ad custodiam maxime rigorosam documentorum Conc. Tridentinum spectantium induxit. Abhinc 100 annos historicus Ranke recte ad conclusionem deveniebat historiam Concilii Tridentini totaliter ex novo tractandam esse. Nec potest dici opera recentiora, e. g. P. Richard, L. Cristiani, etc., huic exigentiae satisfecisse. Cl. Jedin haec in praesenti opere sub silentio praeterit, sed alibi de eis suum judicium jam protulit.

Sic factum est ut eventus tanti momenti pro tota historia Ecclesiae, ut est Concilium Tridentinum, non haberet hucusque tractationem historicam completam, quae corresponderet exigentiis scientiae historicae modernae. Nec mirum. Utque tempus, quod decurrit a diebus Rankii usque ad nostros, uberes et optimas collectiones fontium ad historiam Tridentini pertinentium in lucem protulit. Memorandae sunt prae omnibus collectiones « Concilium Tridentinum » editae a Societate Görresiana, et « Nuntiaturberichte » edita ope Instituti Historici Borussici in Urbe; thesauri Archivii Vaticani jam a tempore Leonis XIII viris scientiae peritis patefiunt; lucta pro vel contra Sarpium tandem pacata est et Ecclesia jam ab objectiva expositione historiae suam optimam apologiam expectat; in omnibus fere regionibus, sed praesertim in Germania et in Hispania, plurima et optima studia edita sunt circa quaedam momenta Concilii, circa singulas quaestiones in eo agitatas, eventus politicos, diplomaticos et militares qui cum eo relatione habent; circa condiciones et ideas illius epochae quae Concilium voluit et deter-

minavit. Tamen valde arduum erat documenta omnia recolligere et interpretari, eruendo directe ex eis ea quae vere sunt momenti pro hac historia, ita ut imago nova haberetur illorum eventuum et idearum, quae in pluribus compleat, in multis corrigat opera scriptorum praeteritorum, et thesaurum fontium, qualis hodie habetur, vere exhauriat. Valde arduum erat innumeras elucubrationes historicas, quae tempora et ideas ad Tridentinum pertinentia illustrant, sat complete novisse, in eorum valore perspicere, et quod amplius est, ita in nova historia componenda adhibere, ut omnes organice confluant in unam visionem historicam, quae magnum illum eventum in sua interna consecutione factorum et causarum intelligat et illustret.

Sic factum est ut, quamvis jam a pluribus annis via libera esset, hodie demum inventus sit qui eam percurrere posset et vellet.

Cl. H. Jedin, nunc professor Historiae Ecclesiasticae in universitate Bonnensi, ad hoc accedit bene paratus. Historiae Reformationis et Concilii jam dicavit totam suam activitatem viri eruditi. Nota est praesertim eius magna et optima biographia card. Hieronymi Seripandi, quae eum vere familiarem reddidit cum personis, ideis et eventibus Concilii. In collectione Görresiana curavit editionem voluminis XIII, quod continet secundam partem « *Tractatuum* ». Inter recentes labores eius memoranda est synthesis historiographiae de Concilio Tridentino, quae quasi introductionem immediatam ad praesens opus constituit. Quibus operibus plurima alia scripta addenda sunt minoris molis, sed valda accurata, quae argumentum nostrum tangunt. Ita mirum non erat si viri eruditi maxime a Cl. Jedin novam historiam Concilii expectarent. Cui expectationi coronam imposuit Em.mus Cardinalis Johannes Mercati, qui Auctorem ad hoc opus implendum exhortatus est.

Nostrum non est instituere in iis, quae hic sequuntur, discussionem criticam huius operis. Hoc ad illos paucos pertinebit, qui in hac disciplina plene versati sunt. Satis erit pro nunc exponere quid volumen contineat et methodum tractationis, rationem habendo praesertim earum rerum, quae cultorem disciplinae canonisticae magis afficiunt.

Jam innuimus Auctorem methodum historico-criticam, uti ex optimis tractationibus scientiae historicae modernae dignoscitur, applicare. Ex documentis et fontibus, quae pro hac historia alicuius momenti sunt, Auctor intendit attingere simpliciter omnia quae hodie obtineri possunt et quae sufficiant ad illustrandos eventus. Non tantum fontes ex magnis collectionibus, sed etiam documenta singula edita in parvis scriptis vel etiam in periodicis diligenter adhibita sunt. Insuper plures notiones desumpsit Auctor ex archiviis, praesertim Italiae, quae diligentissime compulsavit, et ex quibus praesertim epistolas et tractatus adhuc ineditos adhibuit. Nec minus universalis est cognitio, quam praebet de bibliographia, de numero immenso elucubrationum attingentium Concilium Tridentinum et quaestiones cum ipso connexas.

Haec omnia, critice discussa et opportune selecta pro momento quod habent pro Concilio et eius historia, in unam rediguntur « synthesim ». Eorum ope catena factorum et evolutio idearum sicuti in invicem in-

fluxerunt oculis nostris subducuntur, ita ut procedente tractatione, semper magis gaudium intellectionis et comprehensionis internae historiae experiamur.

Bene agnovit Auctor tractationem scientificam historiae Concilii Tridentini ideo esse tam arduam quia non potest restringi tantum ad eventus historicos illius tam inquietae aetatis, sed debet pariter extendi ad innumeras quaestiones theologicas et ad totam condicionem disciplinae et juris ecclesiastici illius temporis. Historicus concilii bene debet esse versatus in unaquaque ex his tribus disciplinis, quarum una sufficeret ad capacitatem unius hominis exhauriendam. Ope immensae diligentiae et diuturni laboris Auctor etiam hoc attigit. Condiciones scientiae theologicae illius temporis cum discussionibus et tendentiis variis, condiciones disciplinae in Ecclesia cum exigentiis alicuius reformationis efficacis et legibus quibus Auctoritas Ecclesiastica conata est mederi abusibus, aeque bene tractantur ac facta et eventus historici illorum annorum. Et hoc omne non distincte et divisim velut in aliquo triptycho, sed simul, in aliqua organica synthesi, ita ut omnes hi aspectus in unam visionem historicam confluant.

Liber, de quo nunc agimus, est primum volumen totius operis de Historia Concilii Tridentini, quod juxta mentem Auctoris quattuor volumina complectet. Cetera volumina in decursu temporis secutura promittuntur, nec consideranti quantus labor et quanta cura in hoc primo volumine adhibiti sint, mirum videbitur, si Auctor ad complendum opus adhuc aliquot annos insumet.

Volumen hoc primum proprie agit de prae-historia Concilii Tridentini, vel ut Auctori lubet dicere, de longa *lucta* quae circa concilium, inde a tempore peracti concilii Basiliensis exarsit. Chronologice narratio producitur tantum usque ad aperitionem definitivam Concilii, factam Tridenti die 13 Decembris anni 1545. Sed non ideo putandum est hoc volumen esse minoris momenti, vel valorem habere tantum relativum ad volumina sequentia. Ut veteres historici Concilii Tridentini, cl. Jedin agnovit praehistoriam huius synodi intime cohaerere cum eius historia, immo eam maxime necessariam esse ad intelligendam necessitatem qua tandem ad concilium deveniri debebat et ideas in eo deinde agitatas. Differt a prioribus historicis Jedin in eo quod hanc praehistoriam incipit non a tempore Lutheri, sed jam a medio saeculo XV, perscrutando evolutionem sic dictae « *ideae conciliaris* » et exigentiae concilii jam a fine conciliorum reformationis illius saeculi. Inde patet divisio huius primi voluminis in duos *libros*, quorum alter agit de concilio et reformatione a tempore concilii Basiliensis ad concilium Lateranense V inclusive, alter vero praehistoriam Concilii Tridentini tractat inde ab anno quo insurrexit Lutherus.

Jam ex hac divisione idea centralis totius operis cl. Jedin elucet. Concilium et reformatio Tridentina non fuit mere responsum ad Lutherum et ad eius rebellionem in dogmate et in disciplina, sed habent radices multo altiores. Exigentia alicuius reformationis vitae ecclesiasticae, quae fieret per concilium tamquam per unicum medium efficax,

late diffusa erat in Ecclesia diu ante Lutherum, et ardenter propugnata etiam a viris qui Ecclesiam fideliter diligebant. Nec tamen influxus Lutheri et « *Protestae* » in exortum Concilium et reformationem Tridentinam parvipendendus est. Per hanc rebellionem necessitas concilii, quae jam aderat, facta est, ut ita dicam, flagrans, et oculis omnium tam evidens ut nemo posset eam respuere. Ex periculo et ex necessitate factum est ut magnae difficultates et oppositiones, quae concilio obviabant, denique tandem superarentur et concilium inceptum sit.

« In saeculo quod decurrit inde a dissoluto concilio Basiliensi usque ad inceptum concilium Tridentinum, ideae quae tardiori Medio Aevo de Papatu, de Concilio et de Reformatione ecclesiastica efformatae erant, evolvuntur, et in Ecclesia oriuntur tensiones illae et athmosphaera spiritualis, quae in cursum et effectum synodi Tridentinae non minus influxerunt quam magnus ille eventus saeculi XVI, defectio Lutherana » (p. 3).

In hanc evolutionem idearum inquirit Auctor in I libro huius voluminis.

Synthetico modo recolit imprimis originem sic dictae « *theoriae conciliaris* », quae auctoritatem concilii supra papam defendebat, et quae suum triumphum duxit in Concilio Constantiensi (decr. *Sacrosancta*), sub influxu Magni Schismatis. Restituta unitate ecclesiastica, haec theoria paulatim suam vim amisit, numero et auctoritate assertorum decrescente, dum e converso auctoritas summa paparum in dies magis extendebatur et agnoscebatur.

Quomodo haec evolutio paulatim in annos processerit exponit Auctor non tam instando in eventibus historicis qui in eam influxerunt — hi aliunde noti sunt, ideo breviter et in eorum valore adducuntur — sed praesertim attendendo ad evolutionem idearum, ad tractatus canonistarum et theologorum qui in decursu temporis novam mentem professi sunt. Sic varias voces canonistarum et theologorum in lucta circa concilium basiliense orta adducuntur et ponderantur, detegendo jam hic aliquam praevalentiam tendentiae monarchicae, quae dein in *Summa de Ecclesia* Johannis a Turrecremata suam plenam expressionem invenit (pp. 16-22). Tamen concludit Auctor, conciliarismus debellatus erat, non autem interne superatus (p. 22).

In cap. 2° ponderatur diffusio et influxus, quem adhuc habebat conciliarismus in Ecclesia initio saec. XVI. Recensentur universitates, in quibus haec doctrina adhuc docebatur; nationes, in quibus suos asseclas habebat. Etsi systema ideale jam magna ex parte superatum esset, tamen mens conciliaristica mirum influxum adhuc exercebat in plures canonistas etiam italicos, imo et curiales. Haec vis non tantum ex principiis theoreticis superioritatis concilii supra papam proveniebat, sed potius ex connubio inter postulatum alicuius novi concilii et exigentiam alicuius efficacis reformationis in capite et in membris. Pontifices enim, systemati absolutistico *nixi* et in ratione vivendi Renascentiae semper magis implicati, talem reformationem pene negligere videbantur.

Si ex hoc connubio cum desiderio efficacis reformationis idea con-

systemati absolutistico nisi et in ratione vivendi Renascentiae semper cilii novam vim attinxit, periculum conciliarismi et abusus appellationis ad concilium, quam principes, saepius ut armam mere politicam contra papam adhibuerunt, causae non leves fuerunt cur papae celebrationem novi concilii timerent eique maxime diffiderent. Quomodo papae secundae medietatis saeculi XV constanter quaesierint difficultates regiminis Ecclesiae solvere, quin cogerentur concilium convocare, exponitur passim ab Auctore. In plena sua luce historica explicatur celebre decretum Pii II, quo solemniter vetabatur appellatio a papa ad concilium universale. Breviter, sed accurate, declaratur quomodo ad decretum deventum sit; quid Pius II et successores eius, qui huiusmodi prohibitionem renovaverunt, exacte intenderint; quinam fuerit effectus decreti, et quomodo decretum a diversis canonistis receptum sit (pp. 52-53).

Magni momenti est cap. 4°, quod totam positionem Collegii Cardinalium examinat respectu ad hanc quaestionem de papa et concilio. Sub respectu juridico recoluntur opiniones canonistarum a Johanne Monacho usque ad Dominicum Domenichi circa jus cardinalium ad participandum decisionibus papae (pp. 61-66), et theoria devolutionis juris convocandi concilium universale ad cardinales, si in casu urgentis necessitatis papa hoc facere negligeret (pp. 74-79). Sub respectu historico exponitur quomodo prima ex his opinionibus superata sit a papis, qui capitula sibi a cardinalibus in electione imposita respuerunt, et quomodo secunda opinio ad suam crisim devenerit occasione conciliabuli Pisani, regnante Julio II.

Circa conciliabulum Pisanum (cap. 5°), sicuti etiam circa conamen quod fecit Zamometic Basileae anno 1472, valde attendit Auctor ad argumenta juridica, quibus fautores horum conaminum nitebantur. Haec argumenta adducuntur, synthetice redacta, ita ut bene eluceat mens quae his conaminibus subfuit, examinantur et discutiuntur in eorum objectivo valore (pp. 86-87).

Dum necessitatibus Cruciatae per congressus principum obviare conati sunt, et controversiis fidei per decisiones infallibiles, pontifices ardenti postulationi circa reformationem semper nova consilia reformationis opposuerunt, quae per ipsos papas fieret, et necessitatem concilii superaret. Historia horum conciliorum exponitur late in cap. 6°. Inde ab Advisamentis, quae Martinus V a cardinalibus Orsini, Adimari et Carillo recepit, Advisamenta cardinalis Capranica ad Nicolaum V, consilia card. Cusani, Dominici Domenichi et Sancti de Arevalo ad Pium II, usque ad celebre libellum quod Thomas Justiniani et Vincentius Quirini exhibuerunt Leoni X, et quod jam ideam « concilii de emendanda Ecclesia » anni 1536 clare praesentit, omnia haec memorialia, quae consiliarii paparum diverso tempore circa reformationem exhibuerunt pontificibus, accurate recoluntur et examinantur. Bullae, quas Pius II, Sixtus IV, Alexander VI de reformatione Curiae Romanae vel fidelium paraverunt, ad publicationem numquam devenerunt. Idea alicuius « reformationis papalis », quae tantum vim exercebit etiam tempore concilii Tridentini, apparet ex hoc sicut aliqua linea traditio-

nalis in regimine paparum. In hac eadem linea describitur etiam activitas reformatoria Concilii Lateranensis V, quae in hoc eodem capite examinatur et discutitur.

Liber I concluditur in eo quod a reformatione hac papali, quae, proh dolor, fatali quadam necessitate inefficax manebat, transitus fit ad autoreformationem membrorum Ecclesiae (cap. 7°). Haec pulchre in synthesi reducuntur, adhibendo omnia quae de hac re etiam tempore recentissimo detecta et elaborata sunt, exhibendo conspectum illius reformationis in variis regionibus, inter clerum regularem, inter clerum saecularem et inter laicos. Ideae efferuntur, quae in hanc reformationem influxerunt; influxus sic dicti « Humanismi » bene describitur et ponderatur. Denique, cum de momento totius huius reformationis membrorum judicium ferendum sit, Auctor viam mediam eligit inter sententiam extremam Protestantium, secundum quam Ecclesia plene demersa fuisset in corruptione et superstitione, et sententiam illorum catholicorum, qui influxum reformatioinis catholicae saeculi XVI tam fortem aestimaverunt, qui etiam sine impulsu reformationis protestanticae ad veram et plenam reformationem Ecclesiae pervenire posset.

Ea, quae continentur in Libro II, possunt, quoad linea generalia, facilius immaginari a lectore ipso. Exponuntur ibi necessitas et conatus congregandi concilium inde a tempore, quo insurrexit Lutherus, ad annum 1545; quod jam fecerant Sarpius et Pallavicinus, et ceteri qui de historia Concilii Tridentini egerunt. Sed modus, quo haec historia nunc exponitur, omnino novus est. Statim patet totam rem non modo mere expositivo, neque ad aliquam tendentiam probandam, sed denique tandem vere historice considerari. Toto libro secundo haec interrogatio inscribitur: *cur tam sero?* Id est, cur concilium, quod tam diu a plurimis ut unicum remedium corruptionis in Ecclesia vehementer postulabatur, et inde a rebellione lutherana etiam ad servandum patrimonium fidei inderogabilis et urgentissimae necessitatis factum erat, demum post tam multos annos, post tantas oppositiones et difficultates, post tam dilatatam defectionem ab Ecclesia, collectum et celebratum est?

Ex lectione libri I jam quasdam causas, revera non leves, cognoscimus, quae Curiae Romanae traditionalem diffidentiam erga solutionem conciliarem suggerebant: periculum conciliarismi, discrimen pro auctoritate Romani Pontificis, abusus quo principes, jam nimis potentes in Ecclesia, utebantur concilio velut arma politica contra papas. Haec momenta prae oculis habentur etiam in tota expositione tractationum circa concilium sub Clemente VII et sub Paulo III. Insuper adduntur motiva nova, sive religiosa inde ab orto lutheranismo, sive politica inde ab inito imperio Caroli V, eius praedominio in Italia et inimicitia cum rege Gallorum, sive etiam personalia, propria indoli et rationi cogitandi singulorum pontificum. Quomodo Clemens VII et Paulus III in re tanti momenti se gesserint peculiari cura inquiritur et exponitur (pp. 176-179; 278-286). Auctor non vult « defendere » eorum actionem, sed nec id intendit ut eam improbet. Suum esse declarat ut hanc actionem « comprehendat » id est, intelligat ex iis rationibus et adjunctis, ex quibus

haec actio defluxit. Sic responsum ad illam interrogationem jam subest et semper clarius patet ex expositione idearum et eventuum, quae bene digesta per diversas quaestiones et capita procedit.

Cum Auctor omnes elucubrationes recentiores de re nostra optime noverit, opinionem Auctorum priorum in plurimis corrigere vel complere potest. Pauca exempla: Appellatio ad concilium, quam Lutherus fecit anno 1518, recte restringitur ad suum valorem mere formalem juridicum in decursu processus canonici, negando eam habuisse ullum influxum historicum notabilem in originem postulationis concilii ex parte novatorum (p. 139-41). Diffusio novarum idearum in Germania exacte exponitur non ut dilatatio alicuius aciei bene distinctae, quae clare opponeretur verae Ecclesiae, sed, uti revera fuit, ut procedens ex illa magna incertitudine idearum, qua quis per multos annos credere potuit se adharere « Reformationi » et tamen non dereliquisse veram Ecclesiam. Exinde patet quam necessarium et urgens esset concilium ad aliquam clarificationem adducendam (pp. 152-156). Quaestio difficillima de vera intentione Pauli III circa concilium, sine tendentiis apologeticis tractatur, cum prudentia et scientia perpenditur, deveniendo ad eam solutionem, quae sola satisfacit, et quae demum neque honori illius Pontificis quidquam detrahit (pp. 278-286).

Totum caput 9° est magni momenti pro historia Curiae Romanae et eius reformationis. Linea illa « reformationis romanae » ope paparum et legum ab eis conditarum, hic producitur usque ad tempora quae immediate concilium Tridentinum praecedunt. Sub pressione lutheranorum, et sub periculo quod imminens Concilium Curiam reformaret, reformatio capitis Romae efficacius imprehensa est. Auctor describit hic systema curiale illius temporis cum praecipuis abusibus, conamina medendi eis, influxum quem in hanc actionem exercuerunt homines novae generationis uti Giberti, Cajetanus, Carafa; origo et sensus illius celeberrimi « Consilii de emendanda Ecclesia » anni 1536,judicium diversorum consiliariorum papae de eo, effectus quem habuit, et tota activitas reformatoria Pauli III accurate inquiruntur.

Magis theologum intersunt et quae Auctor de condicionibus et de merito historico theologiae controversisticae temporis exponit. Doctrinae horum theologorum et actionis eorum optimus conspectus exhibetur in capite 8°, ubi etiam accurata expositio exhibetur illorum « colloquiorum religionis » et conaminum concordiae inter catholicos et protestantes, quae praecipue id effecerunt ut differentiae dogmaticae clarius cognoscerentur et attenderentur. Inter haec omnia, figura cardinalis Contarini, qui a suis aequalibus tam acriter judicatus est, in plena sua luce effertur, ope, etiam hic, particularium studiorum Auctoris.

Ut exemplum habeamus quanta cum cura Auctor, etiam ea quae minoris momenti videri possent, perpendat et directe de visu inquirat, sufficeret descriptionem geographicam et historicam civitatis Tridentinae (cap. 12°) cum ea conferre, quam exhibent alii Auctores. Sed quanti momenti sit haec descriptio pro intelligenda historia concilii, hoc patebit ex voluminibus quae sequentur.

Vix possibile est ideam adeaquatam libri huius per aliquem excerptum exhibere. Liber nimis plenus est notionum et cogitationum, ut omnia efferri possint. Ut Auctor ait, liber vult legi, non tantum ut opus consultationis praesto esse. Tunc eventus et ideae, quae luctam illius temporis determinaverunt, et quae in magnum concilium confluxerunt, menti lectoris vivide apparebunt, in eorum influxu et connexione, in eorum momento pro historia et vita Ecclesiae. Quia ab Ecclesia liber suas mensuras valoris assumit. Non ita ut debeat ea quae rectores Ecclesiae fecerunt semper defendere vel justificare, sed ita ut actuosa vita Ecclesia in tractatione constanter eluceat, ita ut sincere inquiratur quid Ecclesiae profuerit, unde autem ei detrimentum venerit. Liber erit igitur maximi momenti non tantum pro historico, pro theologo et pro canonista, sed pro omnibus iis qui vitam Ecclesiae, et quidem in tam magno discrimine, ut fuit tempus Reformationis, cognoscere velit.

Liber in duplici editione apparuit, fere eodem tempore: originale Auctoris in lingua Germanica (ad hoc referuntur citationes paginarum in iis quae supra leguntur), et versio italica. Haec ultima, proh dolor, pluribus mendis quoad ipsam translationem scatet, quas in proximis editionibus emendatas optaremus.

Remanet denique ut Auctori felicem prosecutionem et optimum exitum totius operis toto animo exoptemus.

HYGINUS ROGGER

Gerente Responsabile Mons. FIORENZO ROMITA
Autorizzazione del Tribunale di Roma N° 15/2/1950